QUINQUAGINTA RATIONES

Et

MOTIVA,

Cur in tanta varietate Religionum & Confessionum Fidei in Christianitate moderno tempore vigentium, sola Religio Romano-Catholica, sit eligenda, & omnibus aliis præferenda

A quodam

NEO-CATHOLICO

Omnibus Dominis

ACATHOLICIS OBLATA.

Olim Varsaviæ Typis Soc: JESU impressa Anno 1734.
Nunc reimpressa Anno 1744.

Typis Colleg: Lublinens. Soc JESU.

P

Reli
unic
solu
amor
temp
qua
nibu
bere
Acad
sem,
res c
lis tr
Acat

PROLOQUTUM.

POstquam complures annos magno studio & summâ diligentia ac sedulitate in investiganda vera Religione & Fide salvifica, (quàm unicam esse sciebam) insumpsissem, solius veritatis indagandæ gratiâ, & amore salutis æternæ, longissimoquè tempore anceps animo hæsissem, quàm nam ex tot diversis Religionibus ac Confessionibus tenere deberem? atquè hunc in finem, varias Academias & Universitates obivissem, plurimos Authores, & Scriptores de modernis Fidei Controversiis tractantes tàm Catholicos, quàm Acatholicos evolvissem, multos Do-

ctores diversarum Religionum, ac Confessionum consuluissem, variis publicis disputationibus de his materiis interfuissem ac ipsemet quoquè, cum primariis viris singularum sectarum Confessionum, ac Religionum privata colloquia hac de re instituissem, dubia mea tàm Catholicis, quàm Acatholicis proposuissem, nequè tamen id, quod unicè desiderabam consequi ac obtinere valuissem. Tandem statui mecum, opportunum tempus & locum mihi seligere, in quo sepositis omnibus aliis curis, ac negotiis, in hoc unicum negotium negotiorum omnium maximum (utpote æternam felicitatem aut infelicitatem concernens) totus quantus incumberem, & illud in seriam deliberationem assumerem. Atquè ut hujus deliberationis salutarem animæ meæ effectum, toties que exoptatum finem asse-

assequerer, sequentia eidem judicavi præmittere:

Primò. Auxilium & gratiam Spiritûs Sancti, impensè implorare, ac lumen veræ Fidei, à DEO tanquam à Patre luminum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, magnis votis exposcere (Fides siquidem est singulare donum DEI, quo illustratur homo ad assentiendum omnibus, quæ DEUS nobis revelavit.)

Secundò. Constitui ac firmiter proposui, me à vitiis per gratiam DEI continere, notum siquidem habui, *quoniam in malevolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*, & certus sum, ac fui, plurimos retardari ab agnitione veræ Fidei, eaque amplectenda, ex eo, quòd sint irretiti multis vitiis, sed præsertim carnalibus.

Tertiò. Deposui omnem affe-

ctum privatum, & magis inclinantem ad unam potiùs Religionem, quàm ad alteram, omnemquè præconceptam finiſtram opinionem de altera; ſed ſtatui me coram DEO, penitùs indifferentem, ad hanc vel illam Religionem eligendam, prout mihi Spiritûs Sancti gratia, ac recta ratio, abſquè omni affectione privati commodi, & timore alicujus incommodi temporalis, dictaverit.

Quartò. Hanc deliberationem & electionem ita conatus ſum inſtituere, ſicut optâſſem illam inſtituiſſe in hora mortis, & in extremo die judicii, & rationem dare DEO, cur potius hanc Religionem elegerim, & non aliquam aliam. Undè propoſui in animo, ut ſi in aliqua Religione vel minimum errorem in dogmate Fidei reperero, eandem illico reiiciam, neque amplius

in ma-

in materiam deliberationis assumam. Ecclesia enim *DEI vivi, debet esse, & est, Columna & firmamentum veritatis.* Tim: 3 v. 15. Sed Columna veritatis nullum fulcit errorem, ergo vera Ecclesia DEI nullum in Fidei dogmate debet habere errorem. His præmissis ut fundamentaliter procederem, præsupposui, primò certa infallibilia fundamenta Fidei Christianæ, & inquibus omnes Religiones Christianæ, licèt inter se differentes, convenire debent, & quæ negari non possunt ab ullo Christiano, sine summæ impietatis, blasphemiæ, & Atheismi nota præsupposui, 2do Principia rectæ rationi conformia in eligendis rebus, quæ ab omnibus prudentibus admittuntur, quæ qui reiicere vellet meritò argueretur magnæ imprudentiæ.

Porrò fundamenta in quibus omnes Christianæ Religiones conveniunt, sunt;

1. Datur DEUS verus & unus.

2. Hic DEUS est Ens perfectissimum, essentialiter includens omnem perfectionem, & excludens omnem omnino imperfectionem.

3. Hinc essentialiter est verax, ita ut nec falli nec fallere possit, nec falsum dicere, seu nec aliter rem aliquam revelare quàm sicut eam cognoscit, nec aliter eam cognoscere quàm sit in se, adeoquè tàm in cognoscendo quàm in dicendo est essentialiter verax.

4. Est Omnipotens. Apud quem *omnia sunt possibilia.* Mat. 1. & *non est impossibile apud DEUM omne verbum.* Lucæ 1. Licèt illud humano aut etiam Angelico intellectu, comprehendi non possit.

5. DEUS

5. DEUS est Fidelis, absque ulla iniquitate, Justus & Rectus. Deutor: 32. v. 4.

6. DEUS est immutabilis. *Non est DEUS quasi homo ut mentiatur, nec ut Filius hominis ut mutetur.* Num: 23. *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis adumbratio.* Jacob. 1. v 16. quidquid igitur DEUS revelat, verum est, & simul possibile; & quidquid promittit, id potest & vult præstare, & præstabit infallibiliter.

7. DEUS est Sapientissimus. *Cujus Sapientiæ non est numerus.* Psal: 146.

8. DEUS est infinitæ misericordiæ, *Dominator Dominus DEUS misericors & clemens, patiens & multæ miserationis.* Exod: 34. *Et misericordia Domini plena est terra.* Psal. 118.

9. DEUS est Justus. Est Remunerator bonorum, & Vindex malorum. *Justus in omnibus viis suis.*

Psal. 144. v. 18. *Credere oportet accedentem ad DEUM quia est, & inquirentibus se Remunerator sit.* Ad Heb: 11. v. 6.

10. DEUS est summa Sanctitas, & summa Bonitas & Benignitas. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS Sabaoth.* Isai. 4. Et Sanctus non solùm in se, sed in *omnibus operibus suis.* Psal. 144. v. 17. Hoc igitur sit certum ac indubitatum quòd quæcunque Doctrina continet aliquid his divinis perfectionibus repugnans, simpliciter falsa sit, & omnis secta quæ talem doctrinam pro Fidei dogmate habet, sit erronea ac proindè absolutè reiicienda, nequè in materiam deliberationis assumenda.

11. Unicam homo habet animam, quàm necesse est aut damnari, aut salvari per totam æternitatem. *Quid autem proderit homini etiamsi univer-*

universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?

12. Æternitas est, cujus finis nullus, cujus mensura semper, est series infinita temporum, est numerus sæculorum sine termino.

13. Finiti ad infinitum nulla est comparatio; O felix beatorum æternitas, ô misera damnatorum! hæc æternitas alterutra, nos expectat, sine vera Fide, illa non obtinetur. Ergo si hanc non habuerimus, altera infelicissima infallibiliter nos manet.

PRINCIPIA PRUDENTIÆ,

In rebus præsertim summi momenti eligendis.

1. IN electione & præelectione rerum, præferenda sunt majora bona, minus bonis, & à fortiori ipsis malis; certa, incertis ac dubi-

is, vera falsis, perpetua ad breve tempus durabilibus, æterna quibuscunquè temporalibus, conformia rectæ rationi, eidem difformibus.

2. Ad finem unicè desiderabilem obtinendum, adhibenda sunt media apposita & proportionata, & potiùs magis certa, quàm minùs certa, vel omninò incerta.

3. Ex mediis ad salutem æternam consequendám, illa sunt certiora, per quæ constat multos consecutos esse salutem æternam, quàm ea, per quæ neminem certò constat, eam adeptum fuisse.

4. Illa quoquè media ad salutem sunt certiora, quæ adhibenda suadet recta ratio, & authoritas Virorum sapientum, ac eximiis virtutibus præditorum, & Sanctorum, aut quæ suggerit ipse Spiritus DEI, quàm quæ dictat caro, sangvis, mundus, & vitæ

licen-

licentia, ac libertas. *Spiritus enim est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Job: 6. v 64. *Qui enim secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt; qui verò secundùm Spiritum sunt; quæ sunt Spiritus sentiunt. Nam prudentia carnis mors est: prudentia autem Spiritûs, vita & pax, quoniam sapientia carnis inimica est DEO.* Ad Rom: 8. v. 5. 6. 7. 8. *Qui autem in carne sunt, DEO placere non possunt.*

His fundamentis & prudentiæ principiis in eligendis rebus præsuppositis, institui sequentes considerationes, ex quibus erui convincentia motiva, cur potius elegerim, & amplexus fuerim Fidem Romano-Catholicam, quàm ullam aliam sectam, ex illis, quæ nunc in Christianitate vigent, curque omnes cæteras Religiones repudiaverim.

CONSIDEATIO PRIMA.

PRo prima itaquè Confideratione assumpsi in deliberationem, utrum meliùs fecero, si me adjunxero Statui Catholico vel Evangelico (quo titulo gloriantur in Hungaria Lutherani & Calvinistæ simul.) Et quidem quisnam, & qualis sit Status Catholicus, illicò intellexi, nempè quòd sit eorum qui sequantur Fidem Romanam per totum orbem terrarum, semper & ubiquè, ac in omnibus Articulis Fidei sibi æqualem ac similem. Circa autem statum Evangelicum, statim impegi in periculosissimum scopulum; sic enim mecum ratiocinabar. Status Evangelicus deberet ille esse qui tenet doctrinam, per omnia Evangelio conformem.

Atqui

Atqui doctrina quàm tenent Lutherani & Calvinistæ simul, non potest esse conformis Evangelio. Duæ siquidem doctrinæ sibi contrariæ vel planè contradictoriæ simul non possunt esse conformes eidem veritati Evangelicæ, sed alterutra earum necessariò debet esse difformis eidem. Constat verò doctrinam Lutheranorum & Calvinistarum in multis Articulis Fidei sibi esse contrarias & planè in aliquibus contradictorias. Ergo utráquè simul non potest esse conformis veritati Evangelicæ. Ergo non possunt constituere unum statum Evangelicum, adeoquè hic status, est omninò chymericus. Ego autem nolui in hac mea electione & deliberatione venari chymeras, sed indagare ipsam veritatem rerum Fide Divina credendarum. Igitur hic status Evangelicus non cadit sub meam electionem & consequenter

illum

illum ab eâ prorsus judicavi rejiciendum.

CONSIDERATIO II.

DEinde institui hanc Considerationem. Cum Calvinistica & Lutheranica Religio simul utraquè non possit dici Evangelica, an saltem alterutra, & seorsim illarum aliqua sit Evangelica, adeòquè una alteri præferenda & consequenter hæc potius quàm illa præeligenda, sed rursus hæsi. Ratio siquidem ipsa mihi dictavit in prælectione unius rei præ altera, debere esse potiores Rationes pro una parte, quàm pro altera. Non potui autem invenire potiorem rationem, cur Lutherana doctriná debeat, dici Evangelica, quàm Calviniana, nec è contra; sed nequè ab ipsis Lutheranis & Calvinistis hanc extorquere potui. Nam utraquè pars citabat pro se aliquos textus Evangelii, &

ſti, & circa citatum textum Lutherani aliter eundem interpretabantur, aliter item Calviniſtæ. Et illi aſſerebant ſuam interpretationem eſſe veram ac genuinam, ac Calviniſtarum falſam, & è contra Calviniſtæ ſuam interpretationem eſſe veram & Lutheranorum falſam. Utraque autem pars veritatem ſuæ interpretationis probabat ex dictamine proprii Spiritûs, qui erant ſibi prorſus oppoſiti, & neutra pars potuit aſſignare rationem vel motivum, cur potius, alterius Privatus Spiritus & Critirion aberret à veritate interpretationis & non ſuus. Non potui proindè inter has duas doctrinas, unam potius eligere quàm alteram. Ergo utramqué judicabam reiiciendam.

CONSIDERATIO III.

ILlud quoquè capere non potui, quo fundamento Lutherani, & Calvi-

Calvinistæ excludant à statu suo Evangelico, Anabaptistas vel Arianos. Nam hi eodem planè jure, dicunt se debere vocari Evangelicos & suas doctrinas conformes esse Evangelicæ veritati. Imò à potiori, quàm Lutherani, & Calvinistæ. Anabaptistæ siquidem dicunt: In Evangelio nullibi legimus infantes esse baptizatos; Imò CHRISTUS dicit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic salvus erit.* Ergo Fides debet præcedere Baptismum, Fides autem non datur nisi in adultis, ergo ante adultam ætatem nemo debet baptizari. Ergo nostra doctrina est conformior Evangelio, quàm Lutheranorum & Calvinistarum admittentium baptismum puerorũ. Ariani pariter dicent: In Evangelio expressè dicit Christus: *Pater major me est.* Ergo nos, juxta Evangelium docemus Filium in Divinis non esse æqualem Patri, sed

mino-

minorem Patre. Nec admittimus præſenti Textu interpretationem SS. PPm Filium eſſe minorem Patre ſecundùm humanitatem, æqualem verò ſecundum Divinitatem (ſi ea contra nos adducatur à Lutheranis & Calviniſtis) Quia & ipſi Lutherani & Calviniſtæ, in materiis controverſis inter ſe & Catholicos, interpretationem SS. PP. reiiciunt. Nec eſt major ratio, cur in hoc puncto authoritas PP. deberet valere, & non in aliis materiis Fidei?

Si verò ipſi ſuam & privati ſui Spiritûs interpretationem adducant, petent ſibi eandem interpretationem oſtendi in ſcriptura expreſſis terminis, cùm utraquè pars admittat quòd nihil ſit credendum, niſi quòd expreſsè & explicitè ac clarè in ſcriptura Sacra habeatur.

CONSI-

CONSIDERATIO IV.

IN præsenti Consideratione occurrit mihi monitum illud scripturæ Sacræ; *State super vias & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea.* Jerem 6. & judicavi apud me illam viam ad Cœlum esse meliorem, securiorem, & magis certam ac tutam, per quàm constat, quàm plurimos jam pervenisse ad Cœlum, quàm illam per quàm hactenus neminem constat ad Cœlum pervenisse. Subsumpsi deinde. Atqui pro certò constat quòd multi qui in Fide Romano-Catholica vixerunt & mortui sunt, salvati sint; quòd verò aliqui, alias Religiones tenentes salvati sint; certò non constat; & inde intuli: Fidem Romano Catholicam certiorem viam esse ad salutem consequendam, quàm quamcunquè aliam Religionem, ac proindè hanc præ aliis eligendam.

CON-

CONSIDERATIO V.

HInc ulterius sic argumentabar. Omnis qui salvatur, placet DEO. *Atqui sine vera Fide nemo potest placere DEO,* Ergo Fides & Religio illa per quam quis salvari potest, est vera, sed indubium est multos tenentes Fidem & Religionem Romano-Catholicam salvatos fuisse (Quod nec ipsi quidem Adversarii negare audent) ergo Fides Romano-Catholica est vera Fides ac Religio. Ergo hæc est eligenda.

CONSIDERATIO VI.

HInc rursus sic arguebam: Sicut Unus est DEUS verus, ita & una Fides est vera; juxta illud S. Pauli: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Ad Ephes. 4. v. 4. Una igitur est Fides vera & salvifica, sicut unus est Dominus, sive DEUS. Ergo si Catholica Fides est

vera

vera & salvifica (ut ostensum est) Reliqua Religionum genera non habent rationem veræ Fidei, nequè extra Fidem Catholicam datur salus. Ergo Fides Catholica est præ cæteris mihi eligenda.

CONSIDERATIO VII.

SEd & illud me plurimùm confirmavit, in proposito ad amplectendam Fidem Romano-Catholicam, quod Catholicos salvari posse etiam Hæretici profiteantur, Catholici autem firmissima Fide credunt neminem extra Ecclesiam Romano-Catholicam salvari posse. Quæ ergo dementia foret, cum Catholicis non stare, (quos etiam Adversarii salvari posse admittunt) sed cum Acatholicis, quos Catholici salvari posse negant. Cur enim non suaderem tutiorem in periculosissimo discrimine viam. Illa autem est tutior, quam

or, quam probat utraquè pars, licèt sibi adversaria, quàm illa, quâm una tantùm pars probat, altera etiam jurando reprobat. Sic nemo dubitat utriusquè medici judicio medicinam probatam tutiùs accipi, quàm alterius judicio damnatam ut mortiferam.

CONSIDERATIO VIII.

MEmor verò illius moniti Deutor: 32. *Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi.* Et illius Proverbior: 22. *Non transgredieris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.* Consului libros veterum SS.PP. quid consilii ex jis capere possem, super hac quæstione; utrùm Romano Catholicam Fidem, an aliquam ex aliis Religionibus amplecti debeam? Ex his primus mihi occurrit S. Augustinus (qui pariter ex Manicheorum hæresi conversus est ad Fidem

Romano-Catholicam) Simul addens rationem suæ conversionis Tom: 6. contra Epist: Fundam. cap 4. hunc in modum: *Multa sunt quæ in Ecclesiæ Catholicæ gremio me justissimè tenent. Tenet consensus populorum, atquè gentium: tenet Authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitas aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves Dominus commendavit usque ad præsentem Episcopum successio Sacerdotum.* Et cap. 17. de utilitate credendi. *Dubitabimus nos in ejus Ecclesiæ condere gremio, qua ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, hæreticis partim consiliorum gravitate, partim miraculorum Majestate, damnatis, Culmen Authoritatis obtinuit?* Alter hoc adhuc antiquior fuit S. Irenæus Lib: 3. cap: 3. sic scribens de Romana Ecclesia: *Ad hanc Ecclesiam, in qua sem-*

per

per conservata ea, quæ est ab Apostolis traditio. Tertius est Tertullianus in præscrip: cap: 36. *Habes Romam undè nobis quoquè Authoritas præstò est, statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* Quartus est S. Hieronymus Ep. 3. contra Ruffinum cap: 4. *Scito Romanám Fidem Pauli Authoritate munitam,* ac in extremo dialogo adversus Luciferum / *brevem* (inquit) *ápertamquè animi mei sententiam proferam; in illa Ecclesia esse permanendum, quæ ab Apostolis fundata usquè ad diem hunc durat.* loquitur autem citato loco de Romana Ecclesia. Demùm his accessit S. Nazianzenus, qui ad præsentem meam quæstionem sic respondet: (carmine de sua vita) *Fides Romana recta erat jam antiquitùs, & recta perstát nunc etiam, nexu pio, quoacunquè sol videt, devincens.*

Qui

Quibus intellectis non potui, non acquiescere horum sapientissimorū, & Sanctissimorum Patrum judicio, decrevi proinde Fidem Romano Catholicam amplecti.

CONSIDERATIO IX.

Recurri dein ad alios Sanctos, & Sanctas DEI, & quæsivi ex iis, in quânam fide illi, & illæ vixerint, & per quam Fidem ad salutem æternam pervenerint? & responderunt omnes, se in Fide Romana vix sse, & per hanc fidem & ad salutem æternam pervenisse. Sic mihi respondit, ex Episcopis S. Martinus, S. Nicolaus S. Athanasius, & plurimi alii. Sic ex Monachis S. Dominicus, S Franciscus &c. Sic ex Viduis S. Monica, S. Brigitta, S. Elisabetha, &c. Sic ex Virginibus S A-gatha, Lucia, Agnes, Catharinâ &c. Undè hanc feci Resolutionem, si hi

Sancti,

Sancti, & hæ Sanctæ, hanc Fidem tenentes pervenerunt ad Cœlestem gloriam, hæc profectò est tutissima, & securissima via ad Cœlum, & nulla alia quærenda.

CONSIDERATIO X.

Converti me postmodùm ad Sanctos Martyres, & ex his quæsivi, quæ nam fuerit illa fides, pro cujus veritate ipsi sangvinem suum fuderunt, exilia, & tantos cruciatus, ac tormenta tam patienter sustinuerunt, tam diuturnos carceres toleraverunt? & responderunt, omnes, illam fidem non fuisse aliam, quàm Romano-Catholicam. Sic responderunt mihi, Tres & triginta Martyrio affecti Romani Pontifices. Sic Cornelius, & Cyprianus; sic Fabianus & Sebastianus, sic S. Laurentius, sic S. Agatha, S. Cæcilia, S. Dorothea, S. Barbara, & innumeri alii, & aliæ. Conclusi proindè mecum,

fidem illam, in cujus veritatis testimonium vitam suam deposuêre, tam gloriosè, tam hilariter, & libenter tot & tanti Testes, non posse non esse veram. Quomodo igitur amplius potui dubitare de Ecclesiæ Romano Catholicæ veritate.

CONSIDERATIO XI.

DEieci dein mentis oculos in Tartara, & vidi ibidem æternis cruciatibus torqueri Simonem Magû, Novatianum, Arium, Vigilantium, Pelagium, Nestorem, Macedonium, Marcionem, Machometem &c. & quæsivi ex iis, ob quam causam sint ignibus æternis addicti, & responderunt mihi: causam hanc damnationis suæ esse, quòd recesserint ab unitate Ecclesiæ Romano Catholicæ, & Authores fuerint sectarum ab illa alienarum. Salubriter igitur mecum conclusi, quod si non volo cum illis æter-

num

num ardere, non debeam ab Ecclesia Catholica recedere.

CONSIDERATIO XII.

NEmo est qui dubitare possit, Sancti Pauli Apostoli fidem fuisse veram, & Apostolicam Fidem. Atqui hæc fuit eadem cum Romana: uti ipsemet Sanct: Apostolus testatur scribens ad Romanos 1. v 11. *Desidero simul consolari in vobis* [Romani] *per eam, quæ invicem est, fidem vestram, atque meam.* Ergo Romana Fides fuit, & est, vera, & Apostolica Fides. Et ipsi quoquè adversarii concedunt veram, & Apostolicã ab initio fuisse, sed postea, dicunt eam defecisse (quod Romano-Catholici constanter negant) dicunt id quidem illi, sed non probant. Nam si quis quærat ex illis: in quibus dogmatibus Fidei defecerit. &

ubi? ac quando? nihil certi adducere possunt: illis autem incumberet probatio. Profectò si certò constaret aliquam Familiam antiquissimæ Nobilitatis esse, & aliquis diceret,, habuisse quidem olim illam Nobilitatis prærogativam, sed postea eandem deperdidisse, talia dicenti, incumberet probatio, quando? & ex quibus causis eandem amiserit? quod si probare non posset, ad minimum in *Emenda lingvæ*, coram æquo Judice convinceretur.

CONSIDERATIO XIII.

CUm in hac deliberatione essem: An scilicet Fidem Romano-Catholicam præeligere deberem, vel aliam ab ea alienam; nova se mihi obiiciebat difficultas. Nempè hæc: Quòd si Catholicam Religionem reijcerem, iterum deberem aliam deliberationem instituere,

ere, quamnam ex illis ab Ecclesiâ Romano-Catholicâ alienis præeligere deberem. An Lutheranam? vel Calvinianam? aut Arianam? cum hæ Religiones in multis inter se discrepent, & adinvicem se gravissimorum errorum incusent. Imò estò me jam ad unam ex istis eligendam determinarem, necdum esset finis deliberationis, siquidem hæ Religiones rursus sunt subdivisæ inter se; Et sic rursus instituere deberem novam deliberationem, quam nam ex tam diversis, & subdivisis tenere, & amplecti debeam. Præstabat igitur unà fideliâ omnes has ex jisdem rationibus reijcere, & Fidem Romano-Catholicam amplecti. *Cui Deus dedit, usquè ad consummationem Sanctorum, in opus Ministerii Pastores & Doctores in ædificationem Corporis Christi, ne circumferatur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in a-*

ſtutia ad circumventionem Erroris. Ad Ehef. 4. v. 14.

CONSIDERATIO XIV.

ILlud mihi ſtatim initio hujus deliberationis propoſueram. Quod in quacunquè ſecta vel Religione, errorem in fide & contra rectam rationem deprehendero, illam omninò velim reiicere, nec amplius in materiam electionis aſſumere. Examinavi proindè varia fidei dogmata modernarum Religionum à Romana Catholica alienarum ex fundamentis & principiis in exordio hujus diſſertationis præſuppoſitis, ſic de jiſdem ſigillatim diſcurrendo: Pro Exemplo primo poſui hunc diſcurſum. DEUS eſt infinitæ ſapientiæ & infinitæ bonitatis, & impoſuit nobis certa præcepta, ob quorum tranſgreſſionem graviſſimè & quidem in æternum homines punit. Ergo debent talia præcepta illa eſſe, quæ cum

illius

illius gratia à nobis observari possint, alias enim non esset sapientissimus Legislator, nec esset Benignissimus Dominus; si propter transgressionem illorũ, æternũ homines puniret. Nemo enim dicet illum sapientissimum esse Dominum, & simul Benignissimum, qui servo suo præcipit id, quod absolutè præstare non potest. V. G. ut solis cursum sistat, vel ut cælum digito tangat, & propter hoc, quod præceptum sibi impossibile executioni non daret, gravissimis pœnis, & exquisitis tormentis, eum puniret, ac excruciaret. Deus autem est Sapientissimus Legislator, & simul summæ imò infinitæ bonitatis, & Benignitatis. Ergo nobis non proposuit talia præcepta, quæ à nobis gratiâ illius adjuvante observari non possint; Ergo falsum dogma fidei est omnium novatorum, quòd præcepta Dei impossibile sit à nobis, adjuvante illius

gratiâ obſervari.

Exemplum 2dum eſt, DEUS eſt ſummæ bonitatis. Ergo nihil admittendum eſt in Deo quod repugnat ipſius bonitati. Repugnaret autem ipſius ſummæ bonitati ſi aliquem ante præviſa ulla illius demerita, purè ex ſua voluntate, præordinaret ac reprobaret ad æternam damnationem, imò hoc fine illum crearet. Ergo talis reprobatio in Deo non datur. Ergo falſum eſt hoc dogma Calviniſtarum, adeoquè reijciendum, una cum ſua ſecta, quæ illud tenet.

Exemplum 3um ſit. DEUS eſt eſſentialiter verax & omnipotens & nihil apud eum eſt impoſſibile. Ergo cùm Christus (qui utiquè ſimul erat Deus) porrigendo in ultima cœna panem, & vinum Diſcipulis ſuis, dixerat: *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt ſaugvis meus.* Vel non dixit verum; & ſic non eſt eſſentialiter

verax.

verax. Vel non poteſt id facere, ut panis tranſeat in illius carnem, & vinum in Sangvinem; & ſic non eſt omnipotens, adeoq; nec DEUS. Eſt autem DEUS, ergo eſſentialiter verax ac omnipotens. Et certè ſi DEUS potuit ex nihilo creare mundum, & CHRISTUS in Nuptiis Canæ Galileæ tranſmutare aquam in vinum, potuit & panem, ac vinum tranſmutare in Corpus ſuum, ac Sangvinem ſuum. Ergo hoc dogma fidei Calviniſtarum, qui negant in Euchariſtia realem præſentiam Corporis & Sangvinis CHRISTI, eſt falſum. Plura ſimilia exempla adducemus in ſequentibus.

CONSIDERATIO XV.

IN hoc examine dogmatum Fidei, alienarum Religionum à Fide Romano-Catholica, reperi in iis plurima paradoxa, prorſus incredibilia, & rationi rectæ penitùs difformia. Exemplum ſit. Docent inter reli-

qua, hoc etiam: quòd omnia peccata sint æqualia, nec ullam dari peccatum, quod sit veniale, undè sic arguebam: Verbum otiosum est peccatum, cùm CHRISTUS Dominus minetur de omni verbo otioso dandam esse nobis in die judicii rationem. Ergo secundùm hoc dogma Novatorum, est æquale reliquis peccatis. Ergo & peccato blasphæmiæ. Ergo & peccato incrudelitatis. Ergo & Apostasiæ à Fide Christi. Si est æquale his peccatis peccatum otiosi verbi. Ergo est etiam æqualis culpæ. Si est æqualis culpæ; Ergo æqualem meretur pœnam. Si æqualem meretur pœnam, Ergo etiam æqualem habet remissibilitatem, vel irremissibilitatem: Ergo æquè difficulter remittitur, ac alia peccata. Et tamen CHRISTUS de pœnis & remissibilitate peccatorum longè aliud docuit; Nam Matth: 5. v. 22. dicit: *Qui*

ira-

irascitur Fratri suo reus erit judicio, qui dixerit: Racca, reus erit concilio, qui dixerit: Fatue, reus erit gehennæ ignis. Ergo iræ affectus erga proximum meretur quidem aliquam pœnam; sed majorem, verbum acerbum, & adhuc majorem verbum contumeliosum. Deindè 1. Joan. 5. v. 16. dicitur. *Est peccatum ad mortem.* Ergo est peccatum aliquod, quod non sit ad mortem. Ergo non omnia peccata sunt æqualia Præterea est peccatum, quod neque in hoc, neque in alio sæculo remittitur. Quale est peccatum in Spiritum Sanctum. Ergo aliqua peccata sunt, quæ in hoc vel in alio sæculo remittuntur. Ergo non est æqualis remissibilitas in omnibus peccatis. Ergo nec æqualis culpa. Ergo non omnia peccata sunt æqualia. Denum Proverb. 24. v. 16. habetur. *Septies enim cadit justus & resurget,*

impii autem corruent in malum. Ergo ſunt aliqua peccata quæ non tollunt habitualem juſtitiam; & alia quæ eandem tollunt. Ergo omnia peccata non ſunt æqualia. Ergo ſectam, vel Religionem illam, quæ hoc falſum Dogma tenet, meritò judicavi eſſe rejiciendam.

CONSIDERATIO XVI.

JUxta eoſdem, omnia noſtra bona opera, ſunt peccata. Et juxta eoſdem omnia peccata ſunt æqualia. Ergo omnia noſtra bona opera, ſunt æqualia peccata, reliquis peccatis: Igitur orare Deum erit æquale peccatum, ac blaſphæmare contra Deum: Et Elèémoſynam dare pauperi, erit æquale peccatum, ac eundem pauperem ſpoliare: & injuſtè poſſeſſam rem reſtituere proprio illius Domino, erit æquale peccatum, ac eandem apud ſe invito domino retinere.

CONSIDERATIO XVII.

Hinc optarem scire. Quidnam deberet dicere, ac suadere aliquis prædicans, alicui consulenti se: Utrùm rem alienam, quàm injustè habet, debeat proprio illius Domino restituere? Nam si dicat, ita, posset is reponere quærendo: an restituere rem alienam sit opus bonum? Si is affirmaret, posset iterum proponens subsumere: Juxta nos omnia nostra bona opera sunt peccata: peccata autem iterum juxta nostram doctrinam sunt æqualia omnia: Ergo sivè rem alienam restituero, sivè retinuero, æquale erit peccatum, nec unum majus altero. Quorum utrumquè, judicavi esse absurdum, & consequenter, & sectas has doctrinas tenentes, ac docentes.

CONSIDERATIO XVIII.

DEUS est summa sanctitas. Si ita, ergo est maximè remotus à peccato.

cato. Si hoc, ergo maximè odit peccatum, si hoc, ergo nullatenùs illud vult fieri, si hoc, ergo illud non mandat fieri. Si hoc, ergo nullatenûs illud causat. Ergo DEUS non est Author & causa peccati, volens suggerens, efficiens, jubens, operans, & in hoc impiorum scelerata cônsilia gubernans, ut docent Calvinistæ, & Lutherus quoquè docuit.

CONSIDERATIO XIX.

REvolvi quàm plurimos Historicos, tàm politicos, quàm Ecclesiasticos; Annales item variarum Gentium, ac Nationum, & diligenter exquisivi, an alicubi ante sæculum decimum quintum, fuerit aliqua fama & mentio Lutheranicæ, aut Calvinisticæ doctrinæ, & aliarum modernarum sectarum. Legi item ad hunc eundem finem, multa antiquissima scripta, & annotatio-

nes

nes rerum memorabilium, quæ singulis sæculis contigerunt, & nullam mentionem, vel vestigium illarum invenire potui. Undè conclusi has Religiones planè novas esse, adeoquè non esse Apostolicas, nec à Christo & Apostolis traditas, sed ex cerebro Authorum harum Sectarum noviter excogitatas & consequenter repudiandas.

CONSIDERATIO XX.

MEmini quidem me adhuc in Juventute legisse, cujusdam Calvinistæ libellum, sub titulo *Itinerarii* in quo conatur demonstrare longissimum Catalogum hunc in finem contextendo, quòd statim à Nativitate Christi, singulis sæculis fuerint aliqui, qui tenuerint doctrinam Lutheri & Calvini, sed pessimo successu & irrito conatu, tentavit id præstare. Primò quidem ex eo, quòd

illlos, quos adducit in dicto Catalogo, faciat idem sensisse, tàm cum Calvino, quàm Luthero, adeoquè fuisse Luthero - Calvinistas, cum tamen nec ipse Lutherus, & Calvinus, nec ipsi Lutherani, & Calvinistæ inter se in doctrina Fidei conveniant; sicut ergo defacto nemo se fatetur esse Luthero Calvinistam, sed vel Lutheranum, vel Calvinistam, ita nequè ab eo citati, poterunt dici Luthero Calvinistæ. Non est autem major ratio, cur soli Calvinistæ trahant illos pro se, quàm soli Lutherani & è contra; imò eosdem æquali jure possent pro sua secta trahere etiam Anabaptistæ, & alij sectarij. Ergo exindè non potest deduci aliquem fuisse ante Lutherum, vel Calvinum, qui integrè ea omnia credidisset, tenuisset, aut docuisset, quæ tenuit, credidit, ac docuit Lutherus vel Calvinus, aut quæ tenent

Luthe-

Lutherani vel Calvinistæ. Secundò, quia ex eo præcisè illos quos citat, facit Luthero Calvinistas, quia invenit in illis unum aut alterum verbum, aut propositionem quam etiam Lutherani, & Calvinistæ tenent. Quod, si sufficeret, potuisset & Machometem, & Judam Iscariotem, & Arium, ac Alios hæresiarchas ponere ad Catalogum Luthero Calvinistarum. Nam & hi tenuerunt aliquid, quod tenent Lutherani & Calvinistæ Sic Machometes tenebat dari solum unum Deum, Arius tenebat Concilia Ecclesiæ errare posse, & Nicœnum Concilium errâsse ipso facto in sui condemnatione. Ergo sequeretur, quòd & Machometes, & Arius fuerint Luthero-Calvinistæ. Tertiò quia eos ponit in dicto Catalogo. quos constat, usquè ad finem vitæ vixisse in Fide Romano Catholica, aliquos etiam ex Pontificibus ipsis,

Car-

Cardinalibus, Archi Episcopis, Episcopis, Monarchis, etiam talibus, qui scriptis suis, veritatem Catholicæ Fidei propugnavêre, sed quo fundamento? planè nullo. Nam S. Gregorium ex eo probat fuisse Luthero Calvinistam, quia coarguebat vitia Sacerdotum. Irenæum ex eo, quòd scripturam Sacram collaudabat. Polycarpum ex eo, quòd Apostolicam doctrinam tenuerit. Bellarminum ex eo, quòd malos Catholicos de peccatis corripiebat. Ex quibus nullateaùs sequitur hæc conclusio. Ergo fuerunt Luthero-Calvinistæ. An non enim & moderni Romano-Catholici, & Zelosi Concionatores, Sacerdotum malam vitam detestantur? malorum Catholicorum peccata exprobrant? Scripturam Sacram, ac doctrinam Apostolicam commendant, & tamen non sunt Luthero Calvinistæ.

CON-

CONSIDERATIO XXI.

LOngè meliùs itinerarium ego in hac mea deliberatione confeci, percurrendo Hæreses singulorum sæculorum à nato Christo. Inveni siquidem omnes fere articulos Fidei, quos tenent Lutherani & Calvinistæ jam fuisse doctos ab aliis Hæresiarchis, & damnatos ab Ecclesia. Non quòd aliquis fuisset, qui omnia illa docuisset, quæ docuit Lutherus, vel Calvinus, talis enim nullus omnino fuit, sed diversi diversos, ac diversis sæculis, & temporibus. Indè tamen non potui concludere; quòd Lutherana doctrina vel Calviniana fuerit ante Lutherum vel Calvinum. Sed feci hanc legitimam conclusionem: Ergo Lutherana, & Calviniana Religio est consarcinata ex variis hæresibus jam pridem ab Ecclesia damnatis, nonnullis noviter adje-

ctis,

ctis, non secûs ac vestis mendicorum ex multis frustis, antiqui & diversi coloris panni, in foro scrutario comparatis & collectis, superadditis aliquibus aliis frustillis ex novo panno, & colore, & qualitate prorsus improportionato.

CONSIDERATIO XXIJ.

POst hæc, assumpsi in Considerationem, signa & notas veræ CHristi Ecclesiæ: nempè quòd sit, *una Sancta. Catholica, & Apostolica;* Et nullam ex his reperire potui in reformatis, seu potiùs deformatis, istis Ecclesiis. *Non Unitatem*, cùm in multis iisq; præcipuis articulis fidei, inter se discrepent, ac singulæ rursus in alias subdividantur de rebus Fidei sententias, & opiniones. *Non Sanctitatem.* Cum enim Sanctitas requirat, ut quis declinet à malo, & faciat bonum. *Psal*: 36. v. 26, Id certè

certè hæ Religiones non præstant, quæ non tantùm non docent declinare à malo; Præcepta Dei servando sed tenent impossibile esse eadem servare; & non tantûm non suadent bonum facere. sed docent bona opera ad salutem æternam prorsus esse inutilia, imò & peccaminosa, nec ullum Sanctum nominare possunt, qui fuisset illorum Fidei. Non, *quod sit Catholica, seu Universalis,* quia non annunciatur in universo mundo, sicut Romana, ut testatur Sanct: Paulus ad Rom: 1. v. 4. nec quòd fuerit semper, quia non fuit ante Annum 1517. Sed nec defacto est ubiquè; solùm enim delitescit in paucu-lis Provinciis Europæ, quæ ipsa est minima pars Orbis, respectu Africæ, Asiæ, & Americæ in quibus de his Religionibus nihil penitus scitur, imò nec auditur. *Non quod sit Apostolica,* quia non est fundata ab Apo-

stolis

stolis, nec Pastorum suorum & doctrinæ suæ continuam successionem, possunt deducere usquè ad Apostolos. Hæc autem omnia signa sunt in Ecclesia Romano-Catholica. Ergo Jure optimo, illam omnibus aliis prætuli.

CONSIDERATIO XXIII.

COnjeci deindè oculos ad initia conversionum populorum, Nationum, & Regionum, ex Gentilismo ad Fidem Christianam, quæ sanè mirabilis fuit, & non nisi Divina virtute, ope, auxilio fieri potuit, propter tot obstacula, tam potentissimorum Regum, Imperatorum, & Tyrannorum, eorumque sævitiem, ac ipsorum Idololatrarum pertinaciam, & obstinationem, præsertim cum Fides, Christiana suaderet illis ea, quæ sunt carni, & sangvini, ac principiis Mundanis omninò contraria, & proponeret Mysteria altissima,

tissima, quæ solo naturali lumine nequeunt comprehendi, & quidem per Prædicatores imbelles; ac inermes. Investigavi dein, quænam fuerit illa Religio, ac Fides, & clarè deprehendi illam fuisse Romano-Catholicam & quidem per viros Apostolicos, à Romanis Pontificibus ad prædicandum Evangelium submissos. Nam quòd primis quinq; sæculis non fuerit alia Christiana Religio, ad quam conversæ fuissent gentes, ipsimet adversarii non diffitentur. Sextò verò sæculo conversa est Anglia per S. Augustinum, Monachum missum eò à San: Gregorio Papa. Septimò, Germaniæ per S. Bonifacium, missum à Gregorio III. Papa. Octavo, Moravia per SS. Cyrillum & Methodium. Nono, Hungaria, & Polonia per San: Adalbertum, & S. Piligrinum aliosq;. Decimo, Bohemia & Moschovia, Francia

cia seu Gallia per S. Remigium, Frisia per S. Bonifacium & Villebrordum, longè adhuc prius. Undecimo, Pomerania per S. Brunonem. Duodecimo, Livonia per S. Mainardum. Et Svecia per Nicolaum Brakpier; postea in Pontificem Romanum electum. Pomerania per S. Otthonem. His autem postremis duobus sæculis in Indiis Orientalibus, & Occidentalibus quàm plurimæ Provinciæ, & longè plures quàm tota Europa numerat, conversæ sunt ad Fidem Christianam, eamque non aliam, quàm Romano Catholicam, & in dies plures, ac plures ad eandem convertuntur. At verò nullam gentem ex paganis reperi conversam fuisse ad Lutheranam,! vel Calvinianam, aut aliam ex novis moderni temporis sectam; sed solùm ex tepidis Catholicis, idquè non alio ex fine, quam pro libertate carnis, & vitæ licen-

tæ licen-

tæ licentiosæ. Præstabat igitur mihi Romano-Catholicam Fidem potiùs, quàm aliquam ex reliquis moderni temporis sectis eligere.

CONSIDERATIO XXIV.

Ex occasione hujus Considerationis occurrit mihi alia observatio Nempè: Quod Deus omnes Apostolos, & viros Apostolicos, quos elegit, & misit ad conversionem populorum, ac gentium, ornaverit dono magnorum miraculorum juxta sua Divina promissa, ut habetur. Matth. 10. v. 7. Euntes (ait CHristus ad suos Discipulos) *Prædicate, mortuos resuscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite &c.* Et Marci ultimo: *Illi verò profecti prædicaverunt ubiquè, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Ante signani autem modernarum novarum sectarum, esto glorien-

tur, se missos à Deo tanquam Reformatores suæ Ecclesiæ; nullum unquam tamen signum, ac miraculum ediderant in confirmationem suæ doctrinæ, vel suæ à Deo missionis: & quidem, ut quidam ait, nec unicum claudum equum, sanare potuerunt. Quomodo ergo poteram credere illos missos à Deo hunc in finem? præsertim cùm Salvator noster nos præmonuerit, ut *attendamus nobis à falsis prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium* (*scripturam & Evangelium semper in ore habentes*) *intus autem sunt lupi rapaces.* Maximè verò, si ij contrariam sibi ad invicem doctrinam prædicent (ut fecit Lutherus, & Calvinus) Uterquè enim veritatem docere non potuit, consequenter nec mitti à Deo uterquè ad reformandam Ecclesiam, neuter autem illorum majora argumenta, aut signa protulit à Deo suæ missio-

nis & doctrinæ quàm alter. Igitur neutri judicabam esse credendum.

CONSIDERATIO XXV.

Rursus consideravi vitas, & mores Authorum harum Religionũ, & feci comparationem eorum, cum ijs, viris Apostolicis, qui Gentiles ad Fidem Romano-Catholicam converterunt DEus bonè quantam inter hos vidi disparitatem! tantam scilicet, quanta est inter cœlum & terram. Hi namq; erant viri DEO uniti, devotioni ac pietati addicti, virtutibus magnis exornati, sobrii, humiles, continentes, rerum Temporalium, & voluptatum carnis contemptores, solam DEI gloriam quærentes & zelum animarum intendentes. Uti ex vitis illorum, & scriptis constat. Illi verò ventri, & carni dediti, à fide Apostatæ, votifragi, impii, superbi, non aliud quàm

carnis voluptates, & vitæ licentiam docentes, ut pariter ex illorum vitis & scriptis clarissimè patet. Quis enim Luthero, & Calvino fuit superbius, & arrogantius? qui se toti antiquitati præferebant, suam interpretationem scripturæ Sacræ, interpretationi omnium SS. Patrum, & totius Ecclesiæ anteponebant. Cujus scripta magis spurca, quàm Lutheri? magis impia & blasphema quam Calvini? Ita ut jam & sequaces eorum, talium scriptorum pudeat.

CONSIDERATIO XXVI.

PRo magno stimulo fuit mihi ad Fidem Romano-Catholicam præ aliis modernis Religionibus amplectendam etiam illud, quod in ea nunc quoq; reperiantur quàm plurimi, qui zelo animarum ducti, relictis, ac spretis omnibus vitæ hujus commodis, amicis & cognatis, di-
gnita-

gnitatibus ac honoribus, & aliis mundi bonis, quæ in re vel spe habebant, non obstantibus minis Tyrannorum, & certissimâ quasi nece à barbaris inferendæ, promptissimè & summa cum alacritate vadunt ad remotissimas etiam gentes pro illarum conversione, Evangelium Christi jis prædicando, & ad Ecclesiam Catholicam eosdem adducendo, esto pro comperto habeant, se fore inter eas cum S. Paulo, *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* 2. ad Corinth. 11. v. 12. Quod certò in Prædicantibus aliarum Religionum non reperi. Undè conclusi eos verè Spiritu Dei agi, non autem hos. *Majorem siquidem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Joan. 15. v. 13.

CONSIDERATIO XXVII.

OBservavi & valdè admirabar etiam illud. Quomodo inter Romano Catholicos multi divitiis affluentes, & amplissimas quoquè hæreditates, ac omnes vitæ commoditates, etiam magnarum Familiarum, non tantum Nobilium, sed & Baronum, Comitum, Marchionum, Principum Filii ac Filiæ spretis omnibus deliciis, ac voluptatibus ad pauperes, & austeros Religiosorum diversos ordines; spontè, & sæpè non nisi magnis obstaculis perruptis, tanto numero convolent. Præcisè solius Dei amore, & securitatis majoris salutis animæ suæ, ergo: cum in aliis novis Religionibus vix ullus magnæ Nobilitatis, vel conditionis valdè honestæ dignetur statum prædicantium amplecti. Quod non ideò dico quasi DEUS esset acceptator perso-

narum, cum constet Christum rudes, ac simplices piscatores in Apostolos elegisse, sed solum indè colligo, quod specialis Dei gratiâ in illis operari debeat, adeoq; & Fides illa esse vera, in qua tam singulares Gratias Deus suis confert.

CONSIDERATIO XXVIII.

MEmini, cum adhuc essem Juvenis, duos Prædicantes Lutheranos me præsente mentionem fecisse, adolescentis cujusdam bonæ indolis mihiquè notissimi; ac cum unus ex illis, hanc conjecturam de illo fecisset. Hic adolescens vitam ducet cælibem, & continentem; quantum ex illius indole licet conjecturare. Alter mox subjunxit: optimè sanè facit, continentia enim, & cœlibatus est magnum Dei Donum, & specialis gratia. Ego tunc adhuc planè Juvenis & quidem Lutheranus existens,

apud me tacitè hanc illationem cum admiratione feci; Quomodo igitur fieri potest, ut cùm nostri Pastores dicant se reformatores Ecclesiæ, & Evangelii purissimi prædicatores, & continentia ac cælibatus sit Donum Dei singulare, ac specialis gratia, Deus hoc donum & hanc gratiam nulli prædicantium conferat? prædicantes siquidem cœlibem vitam ducere nulli bi est videre, quin nec audire quidem. Et vicissim quomodò Deus hoc donum, & hanc gratiam multis Papistis, quos nos Idololatras esse dicimus, confert, apud quos tam multæ Virgines, Moniales, Religiosi, & Ecclesiastici, vitam continentem, & puram ducunt; debet igitur illorum Religio magis grata esse Deo, quàm nostra, quoniam aliter quis non potest esse continens, nisi Deus det ei donum hoc. Sæpius dein mihi in matu-

riori ætate, hoc dictamen in memoriam recurrit, ac tandem etiam ad amplectendam Fidem Romano Catholicam unum, ex motivis fuit.

CONSIDERATIO XXIX.

EVolvi quam plurimos Authores, qui contra Fidem, ac Religionem Romano-Catholicam scripsêrunt, & illud signatè notavi, quòd in omnibus suis argumentationibus id probare affatim conentur, quòd Catholici non negant, sed ultro admittunt: illud verò quod Catholici pro dogmate Fidei tenent, oppugnando vix attingant. Exempli gratia: Adferunt copiosissimos scripturæ sacræ textus: Quod solus Deus sit adorandus, & colendus cultu Divino. Hoc autem Catholicorum nemo negat, qui firma Fide credunt peccatum Idololatriæ esse, creaturæ cuicumque tandem, cultum Divinum exhibere. Adducunt mul-

ta scripturæ Testimonia quæ honorificè loquuntur de Matrimonio. Quid tum? hoc enim Catholici non improbant, imò Matrimonium inter Sacramenta numerant, hoc solùm cum S. Paulo tenent: Quod *qui matrimonio jungit Virginem suam, bene faciat, & qui non jungit; meliùs faciat.* similiter merita CHRisti prædicant, ipsiusquè satisfactionem pro peccatis nostris. Quid inde? Hæc enim Catholici quoq; infiniti valoris esse docent, & satisfactionem illius sufficere pro totius mundi peccatis ajunt: Quid ergo docent? Id quòd S. Petrus sua Epist. 1. v. 10. *Satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Et S. Paulus ad Rom: 8. v. 17. *Si tamen compatimur, ut & glorificemur*, pari modo Fidem mirè extollunt. Quid exinde? Etiam Catholici Fidem necessariam esse ad salutem

lutem fatentur. Quid ergo dicunt? Id quod S. Jacobus cap. 2. v. 14. *Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.* Et quod S. Paulus ad Cor. 1. cap. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Demum contra malam vitam aliquorum Sacerdotum invehuntur. Quid inde proficiunt? Hanc enim etiam omnes Catholici detestantur, sed & continentiam, ac puritatem Angelicam mentis, & corporis, in pluribus admirantur.

CONSIDERATIO XXX.

IN iisdem Authoribus, uti etiam in aliorum prædicantium concionib9, & discursibus observavi; Quòd calumniis potiùs oppugnent, & coram plebe denigrent Ecclesiam Romano Catholicam, & ex hoc modo agendi conjeci manifestè, quod deficerant in argumentis ad eandem op-

pugnandam. Quando enim devenitur in probationibus & disputationibus ad calumnias, infallibile signum est, quod in probatione argumentans succumbat. Deindè calumniæ semper sunt conjunctæ cũ falsitatibus, & mendaciis. Quomodo ergo per ipsa mendacissima mendacia eruetur rei veritas? atqui hujusmodi calumniæ sunt: *v. g.* Quod Catholici ita adorent Sanctos, sicut ipsum DEUM. Quod Pontificem habeant, pro DEO; quod in Sanctorũ meritis, & suis propriis ponant majorem spem, & fiduciam, quàm in meritis Christi Domini, & sexcenta similia figmenta. Non potui igitur in mendaciis, & calumniis fundamenta meæ fidei ponere, igitur statui mecũ, quod ipsemet velim, rei veritatem indagare, quâ compertâ rejeci tanquam impostorias, omnes has novas sectas.

CON-

CONSIDERATIO XXXI.

Recordor optimè, quod cùm in adolescentia mea interfuissem cuidam explicationi Theologicæ apud Calvinistas, quidam ex Auditoribus, cœteris intelligentior proposuerit publicè professori, in persona Catholici quoddam argumentum valdè ponderosum. Quo audito Professor Calvinista substitit, & aliquantulum hæsit. Deinde verò dixit. Idem argumentum à se aliquando cuidam suo Professori in Anglia fuisse propositum, sed ab eo pro responso se non aliud accepisse, quàm quòd argumentum illud sit planè insolubile, ac proinde Catholicis ad illud directè nunquam esse respondendum, sed solùm eludendum. Vehementer scandalizatus fui in hoc responso. Per elusiones enim, argumenta non solvuntur, nec ad

cogno-

cognoſcendam veritatem rei pervenitur. Et jam tunc judicabam, Acatholicos etiam circa articulos Fidei non laborare de rei veritate.

CONSIDERATIO XXXII.

ILlud quoque omnes Religiones à Romano Catholica alienas, mihi ſuſpectiſſimas de falſitate reddidit, quod licèt ſemper Catholicos ad ſcripturam provocent, ipſimet tamen Scripturam Sacram pro libitu ſuo tractent, partim integros libros ex Canone *Sacrorum* Librorum eliminando: partim mala fide vertendo, partim pro ſuo arbitrio juxta dictamen uniuſcujusquè privati Spiritûs interpretando. Cum tamen Romano Catholici eandem verſionē omnes habeant, iiſdem ſemper Bibliis omnes utantur, quibus uſa eſt Eccleſia à mille & trecentis, ac amplius annis, nequè eam juxta ſuum proprium ju-

dicium explicant, sed sequuntur interpretationem veterum SS. Patrum ac totius Ecclesiæ, de qua CHRistus dixit Matth: 18. v. 17. *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.*

CONSIDERATIO XXXIII.

UT nihil intentatum relinquerem, legi considératè parvulum Catechismum Lutheri, quô Lutherani in Hungaria defacto utuntur, eumq; contuli diligenter cum Catechismo ejusdem Lutheri Anno 1567. Wittembergæ impresso, & reperi eundem in prima illa editione Wittembergensi, differre toto cœlo, in quã plurimis articulis Fidei. Nec satis capere potui tantam mutationem, nisi mihi occurrisset, quod Novatores moderni, pro libitu mutant Religionis suæ articulos, alios tenendo in una Provincia, alios in altera, ali-

os in uno sæculo, alios altero. Quòd si quis huic tantæ diversitati, quoad ipsos articulos Fidei inter hos duos Catechismos Fidem adhibere nolit, conferat simul utrumquè, id autem facilè consequi poterit, cum Wittembergensis ille Catechismus hoc ipso Anno 1701. sit Tyrnaviæ in Hungaria impressus. E contra verò cum peragrarem diversas Provincias Catholicorum nullam in eorum Catechismis inveni, quo ad articulos Fidei discrepantiam, sed in omnibus omnino, omnimodam convenientiam.

CONSIDERATIO XXXIV.

CUm ergo viderem tantas diversitates opinionum etiam quoad Dogmata Fidei, inter eos qui se Augustanam Confessionem profiteri dicunt, ipsam Confessionem Augustanā consideratè perlegere decrevi, sed

his

has tam diversas esse reperi, variis in locis, & temporibus impressas, adeoq; inter se differentes, ut quæ nã sit genuina Confessio Augustana, apud me determinare non potuerim, quia nec ipsi Professores Academiarum Lutheranicarum hac de re inter se conveniebant, donec unâ occasione Bibliothecam Cæsaream Viennensem visitarem, in qua Bibliothecarius Cæsareus, inter alia exhibuit nobis, qui tunc simul eramus, illam ipsam in originali, quæ exhibita fuit à Melanthone Augustæ in comitiis Imperialibus Carolo V. Cæsari Anno 1530. Quæ in tantum differt ab aliis editionibus Augustanæ Confessionis, ut nisi illis apponeretur Titulus *Augustanæ Confessionis*, nemo eas diceret esse Augustanas Confessiones. Undè intuli modernam Religionem Lutheranorum non esse Augustanæ Confessionis Religionem, sed

longè

longè diversam, ideo hanc omninò reijciendam judicavi. Cur verò neq; illi originali acquieverim, inter alias rationes, hæc etiam fuit: Quod hæc ipsa contineat in se plurima mendacia, & apertas contradictiones. Quas fusè deducit Cardinalis Pazmannus in erudito suo opere, *Kalauz* dicto, à fol: 415. usquè ad folium 440.

CONSIDERATIO XXXV.

COnsideranti mihi sæpius verba illa Christi Domini: *Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spaciosa via est, quæ ducit ad perditionem; & multi sunt, qui intrant per eam. Quàm angusta porta; & arcta via est, quæ ducit ad vitam! Et pauci sunt qui inveniunt eam.* Matt: 7. v. 13. Item, *Contendite intrare per angustam portam.* Luc. 13. v. 24. Occurrit illico mihi Religiones alienas à Fide Romano-Catholica non esse

hanc

hanc arctam viam, quæ ducit ad vitam, sed illam spatiosam quæ ducit ad perditionem, nam juxta harum doctrinam, satis est ad vitam æternam consequendam, si credat quis se salvandum, aut prædestinatum ad eam, quæ doctrina sanè contraria est illi, quam nobis præscripsit Christus per se, ac suos Apostolos. Nam interroganti illi Matth. 19. v. 16. Magister bone quod boni faciam, ut habeam vitam æternam? respondit CHRistus *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; secundum verò doctrinam harum Religionum ad hanc interrogationem non respondetur: si vis ad vitam ingredi, serva mandata; hoc enim ajunt esse impossibile. Quid autem respondetur à Novatoribus? si vis ad vitam ingredi, crede tantùm quòd CHRistus pro te mandata Dei Patris adimpleverit. Similiter S. Petrus Act. 2. v. 37. Interrogantibus

Judæ-

Judæis compunctis corde ex iis, quæ ab eo audierunt. *Quid faciemus viri Fratres?* respondit *Pœnitentiam agite.* Et ipsemet Christus Luc: 13. v. 3. ait: *nisi Pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Et rursus S. Petrus Act: 3. v. 19. *Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Pariter & S. Joannes Baptista, suam Prædicationem sic inchoavit. *Pœnitentiam igitur agite;* Item: *facite fructus pœnitentiæ.* Matt: 3. v. 3. & 8. Quid autem hæc nova doctrina ad interrogationem: An, & quomodo pœnitentia sit agenda, respondebit? hoc unicum: *crede tantum*, quod remissa sint tibi peccata, propter merita Christi, & hoc solũ sufficit. Quæro ulterius ex iisdem, An debeam dimittere debitoribus, & condonare injurias mihi factas, & volo à DEO mihi remitti peccata; quid respondebunt? non aliud juxta

suam

suam doctrinam, quàm hoc non esse necessarium, sed satis esse, si credā mihi dimissa esse peccata. Cum tamen CHRistus dicat Matt. 6. v. 14 & 15. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis Pater vester Cœlestis delicta vestra: si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Rursus pergo quærere, utrùm per bona opera mereri possim vitam æternam? & respondebunt mihi negativè & dicent solam Fidem ad id sufficere. Cum tamen Scriptura dicat 2. Petri v. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Et S. Paulus 1. ad Rom: 2. v. 6. 10. *Et reddet unicuique secundum opera sua.* Et ad Cor: 3. v. 8. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum laborem suum.* Urgeo interrogando: possumne redimere peccata mea Eleëmosynis? Cum

Chri-

Christus dicat Luc: 11. v. 41. *Date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Et Daniel: 4. v. 22. habeatur: *peccata tua Eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Et respondere debebunt consequenter mentiendo: Nec id esse necessarium, sed tantùm crede, quod Christus pro te satisfecerit: & munda sunt tibi omnia: tantum crede Christum Dominum pro te esse mortuum, & redimes peccata tua. Sola Fides ad hæc omnia sufficit. Denum quæro, propter quæ peccata homines damnantur, & à cœlesti gloria excluduntur? Respondebit S. Paulus 1. ad Corinth. 6. v. 9. 10. *Nolite errare: neque fornicarii, neq; idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neq; ebreiosi, neque maledici, neque rapaces, Regnum Dei possidebunt.* Novatores

autem respondebunt cum suo Luthero Postillâ in Dominicam 8vam post Trinitatem) *Sola incrudelitas damnat.* Ecce viam novam, eamq; spatiosam ad cœlum! sed quâ nemo pervenit ad illud.

CONSIDERATIO XXXVI.

EX Consideratione hujus controversiæ, an sola Fides sufficiat ad salutem, pro qua adstruenda Lutherus ad illum textum S. Pauli ad Rom: 3. v. 28. *Arbitramur hominem justificari per Fidem*, fraudulenter addidit per solam Fidem, venit mihi suspicio an non etiam in aliis Textibus Scripturæ Sacræ utantur similibus dolis Acatholici; & reperi id, quod suspicabar. Nam idem Lutherus in superiùs citatis verbis, 2. Pet: c. 1. v. 10. *Quapropter Fratres magis satagite, ut per bona opera certam vocationem vestram, & electio-*

nem

nem *faciatis*, in sua versione totaliter omisit verba illa *per bona opera.* Quia apertè adversantur ejus errori, quò docet bona opera homini non conducere ad salutem. Calvinistæ pariter plerique in Evangelio Luc: cap. 22. v. 19. Verba illa clarissima: *Hoc est Corpus meum*, sic transmutarunt: *Hic est Corpus meum*, ut excluderent realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia. Ob eandem causam, ubi Joan: 6. v. 51. legitur. *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi: pro voce vivus, substituerunt vivificans:* ut intelligatur panis usualis. Et in Epist: S. Jacobi 5. v. 16. verba illa: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Reformatores sic verterunt *Confitemini peccata vestra erga invicem*, ut sic eludant Sacramentalem Confessionem, quam inde probant Romano Catholici. Et illud S. Pauli ad Hebræos 13. v. 4.

Hono-

Honorabile connubium in omnibus. Novatores ut defenderunt Matrimonium etiam Sacerdotum, verterunt sic: *Honorabile connubium inter omnes*: Item verbis illis CHRISTI Domini Matth: 25. v. 35. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare. Sitivi, & dedistis mihi bibere: Hospes eram, & collegistis me.* Illud enim omisit Lutherus in sua versione, quia videbat inde probari, opera bona esse meritoria vitæ æternæ. Omitto quàm plurima alia his similia. Unde conclusi harum Religionum antesignanos viam Dei in veritate non docere, sed scripturas malâ fide ad suum sensum contorquere, & pro suo libitu truncare ac mutare. Quomodo igitur prudenter poteram illorum Religioni nomen dare?

CONSIDERATIO XXXVII.

INstitui dein Analysim & Synthesim circa discernendam veram Christi Ecclesiam à non veris, hâc ratione: In Christianitate datur aliqua vera Christi Ecclesia (quam propositionem admittunt omnes omninò Religiones, & Sectæ, quæ sunt in Christianitate, præter hæreticos illos, qui vocantur *Expectantes*) si datur Christi Ecclesia, ergo hæc debebat institui ab ipso Christo; si ab ipso Christo utique institui debuit sapienter: ipse siquidem fuit sapientia æterna. Et cum sapienter sit instituta, debebat institui durans stabiliter, juxta ipsius Christi doctrinam Matth: 7. v. 24. ut ait: *Sapientem virum esse, qui ædificat domum suam supra petram, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam,*

& non cecidit: fundata enim erat supra petram. Estque illa de qua Christus dixit: Matth. 16. v. 18. *Supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam;* Si ita stabiliter est fundata. Ergo non potuit deficere & cadere, sivè per pluvias afflictionum, sivè per flumina, & fluvios persecutionum, sivè per ventos hæresum, aliàs enim fuisset fundata supra arenam, & non supra Petram. Si non potuit deficere, ergo fuit semper visibilis. Et aliunde CHRIstus frustra fideles suos monuisset Matth. 18. v. 17. *Dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit; sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Quomodo enim possent aliquid dicere, seu proponere fideles Ecclesiæ invisibili, & irreperibili? Si fuit visibilis omnibus fidelibus ergo debuit propagari per Apostolos, post Ascensio-

nem Christi, utpotè quibus dictum est à Christo. *Euntes in universum mundum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Mar: 16. v. 15. Quod etiam fideliter iji præstiterunt testante eodem Evangelista v. 20. *Illi autem profecti, prædicarunt ubiq; Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis,* & cùm Fides per Apostolos ubiquè fuit propagata, & per universum mundum veritas illius prædicata, igitur fuit *Universalis* seu *Catholica.* Si universalis, ergo & una. Et ideò Joan: 10. v. 16. dicitur *unum ovile*, ad Rom: 12. v. 4. *unum Corpus.* Ad Eph: 4. v. 4. *unus Spiritus.* Si unum corpus, & unus Spiritus est Ecclesia, ergo debuit habere etiam unum caput. Si hoc ergo pro capite visibili post Christi Ascensionem, Ecclesiæ hujus debuit à Christo constitui unus ex Apostolis. Si unus ex Apostolis. Ergo ille, cui

Chri-

Christus dixit: *Pasce oves meas: pasce agnos meos:* Joan: ult: v. 16. Item *Tu vocaberis Cephas, id est Petrus. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claves Regni Cælorum.* Matt: 16. v. 28. Ergo Petrus constitutus erat Caput visibile Ecclesiæ à Christo fundatæ. Rursus quia Petrus non potuit semper vivere, & Ecclesia duratura erat semper juxta illam promissionem Christi Matt. 28. v. 20. *Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consumationem sæculi,* debuit habere in officio suo Pastorali, eoq; universali, in doctrina Christiana alios Successores, & hi rursus alios: Ergo successio hæc perpetua & continuata Pastorum & doctrinæ, est de ratione veræ Christi Ecclesiæ. Quia verò Petrus & alii ejusdem Successores, non poterant prædicare Evangelium in universo mundo in sua persona,

debebant habere coadjutores in hoc sacro opere. Ideò *Christus ipse, dedit quosdam (alios quoq;) Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus Ministerii, in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem Fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis, plenitudinis Christi (nempe in resurrectione) ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Ad Eph: 4. v. 11. 12. Demùm quia Christus vocavit nos ad Ecclesiam suam *ut induamus novum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in Justitia & sanctitate veritatis.* Ibidem v. 24. Ecclesia Christi debet esse *Sancta*, hoc est, & ad Sanctitatem suâ doctrinâ instruere, & saltem aliquas Personas Sanctitate illustres in suo gremio continere. At qui

hæc

hæc Christi Ecclesia ab ipso fundata, & per Apostolos propagata, non est alia, quàm Romano-Catholica. Hæc enim per SS. Apostolos, Petrum & Paulum, Romæ est in choata & aucta, hujus Fides erat eadem, quæ fuit Apostolorum & nominatim S. Pauli, qui ad Romanos 1. v. 12. Fidem Romanam dicit esse Fidem suam, & Fidem suam esse Fidem Romanam. Ergo est Apostolica. Hæc, teste eodem Apostolo eodem capite v. 8. annunciata fuit in universo mundo. Ergo est *Universalis* seu *Catholica*. Hæc est fundata à Christo per Petrum in petra. Ergo non potuit deficere. Fuit semper & est, visibilis, ad quam recurrebant omnes gentes, & ad illam convertebantur ex Gentilismo omnes populi. Hæc habuit semper per continuam successionem Pastores totius Christianitatis à Sancto Petro inchoando,

usquè ad modernum Pontificem Clementem XII. Hæc tenet eandem omnino doctrinam Fidei per universum orbem. Ergo est una. Hæc habuit innumeros Sanctos, & Sanctas, Martyres, Confessores, Virgines, & docet fideles suos ad sectandam sanctitatem declinando à malo & faciendo bonum. Ergo est *Sancta*, ergo & vera Fides, vera Religio, vera Christi Ecclesia; Si vera, ergo sola, ergo hæc sola est amplectenda.

CONSIDERATIO XXXVIII.

Vicissim aliæ omnes Religiones à Romano Catholica alienæ sivè simul & collectivè, sivè singulatim sumptæ in doctrina sua, & dogmatibus Fidei plurimum differunt inter se. Ergo non sunt *una Ecclesia*. Non sunt propagatæ per Apostolos, sed multis sæculis post tempora Apostolorum exortæ. Ergo non sunt

Eccle-

Ecclesia Apostolica. Non sunt universales, nec sunt ubique, sed in pauculis duntaxat Provinciis & quidem solius Europæ. Ergo non faciunt *Ecclesiam Catholicam*, seu universalem, suorum Pastorum & doctrinæ successionem non possunt altiùs referre, quàm ad Lutherum. Ergo non habent continuam successionem pastorum & doctrinæ, ab ipsis Apostolis. Nullum Sanctum suæ Religionis possunt nominare, nec docent à malo declinare, vel bonum facere, imo tenent, illud esse impossibile, & hoc inutile. Ergo non constituunt *Ecclesiam Sanctam.* Ergo nullum habent indicium veræ Christi Ecclesiæ. Ergo omnes & singulæ sunt reijciendæ.

CONSIDERATIO XXXIX.

CONtingit frequentissime, ut inter Romano Catholicos & Aca-

tholicos, in aliqua controversia, non sit quæstio, circa textum aliquem scripturæ Sacræ, an ille liber scripturæ, ex quo is profertur, sit liber Canonicus? nec an sit bona, & legitima versio, sed præcisè quis sit illius sensus genuinus; & legitima interpretatio? Romano-Catholici, interpretantur eum juxta mentem primitivæ Ecclesiæ & veterum Sanctorum Patrum: circa eundem Acatholici comminiscuntur novas interpretationes, easque non solùm à primitivæ Ecclesiæ, & veterum Sanctorum Patrum interpretatione diversas, sed etiam inter se discrepantes, & oppositas, prout unicuique privatus suus Spiritus dictaverit. In similibus casibus sæpiùs anceps hæsi cuinam explicationi & interpretationi adhærere debeam? Sed re diligenter consideratâ ratio ipsa mihi clarissimè dictabat potiùs esse sequendam interpretationem

Roma-

Romano-Catholicorum, ut potè conformiorem interpretationi antiquissimæ totius Ecclesiæ, & veterum Sanctorum Patrum. Tum quia authoritas communis, & totius, ac antiquissimæ Ecclesiæ, prævalet unicuique privatæ authoritati, eæque novissimæ, valdè suspectæ; Tum quia veteres Sancti Patres omni exceptione majores erant, in sanctitate, & doctrinæ soliditate, in virtutibus, & veritatis indagatione, modernis novellis, leviculis, sciolis, nihil aliud quàm vitæ libertatem & carnis licentiam quærentibus & sectantibus, Ecclesiæ deformatoribus. Tum quia illi erant viciniores temporibus Apostolorum, & nonnulli ferè iisdem, aut saltem immediatis eorum successoribus convixerunt, ac proindè de eorum sensu ac mente, majorem potuerunt habere notitiam, circa Scripturæ Sacræ intelligentiam, quàm

Do moder-

moderni Novatores post tam multas annorum centurias; Tum quia eorum interpretatio fuit ante motas controversias inter Catholicos, & Acatholicos hodiernos, adeoquè sinè ullo privato affectu sacras literas interpretabantur; at verò moderni heterodoxi præoccupato affectu in alterutram partem controversiæ, conantur scripturas ad suum sensum & doctrinam trahere, vel rectiùs detorquere, & non doctrinam suam Scripturæ Sacræ accomodare.

CONSIDERATIO XL.

SEd ut hæc res magis pateat, declaremus eam in exemplo: statuatur ex. g. hic textus Scripturæ Sacræ, & hæc verba Christi Domini: *Hoc est Corpus meum.* Romano-Catholici accipiunt verba hæc in proprio ac reali sensu, quia hæc fuit explicatio, illorum, & interpretatio, semper totis-

totius Ecclesiæ ab initio ejusdem, ac omnium veterum Sanctorum Patrum. Acatholici id negant, ex suo proprio sensu, & privati Spiritûs dictamine. Et rursus alio modo eandem explicant Lutherani, alio Calvinistæ, alio Zvingliani, alio Ariani, & unusquisque pro argumento suæ interpretationis, nihil aliud adducit, quàm privati sui Spiritus dictamen. Cui igitur potiùs ex his spiritibus potuissem credere, aut cujus interpretationi potiùs adhærere; meliùs proindè fore judicavi nulli eorum credere, cum pro una parte majorem rationem veritatis adferri non viderem, quàm pro altera. Veritas enim una est, quacunquè de re; falsitas verò multiplex. Malui itaquè hoc in puncto etiam, sequi doctrinam Fidei Catholica utpotè securiorem.

CON-

CONSIDERATIO XLI.

UT ad fundamentum veritatis indagatæ devenirem, ſtatui mecum utriuſque partis celebriores Authores evolvere, hac intentione, ut viderem quomodo eorum doctrina, cum doctrina veterum SS. Patrum primitivæ Eccleſiæ ac ipſorum & inter ſe conveniret. Legi proindè varios libros eosque copioſos à Romano Catholicis, & quidem diverſarum nationum, in diverſis Regnis, ac Provinciis conſcriptos, partim ab Hiſpanis, Italis & Gallis, partim à Belgis & Anglis, partim à Germanis, Polonis & Hungaris, & deprehendi omnes in dogmatibus Fidei, tam cum veteribus SS. Patribus, quàm inter ſe per omnia convenire, & quod mirum mihi videbatur, illos etiam qui in aliis ſcholaſticis materiis acriter inter ſe diſceptant, ut

sunt Scholæ Thomistarum, Scotistarum, Nominalium, & Societatis JESU, qui tamen ubi ad dogma aliquod Fidei ventum fuerit, idē omnino tenent, idem docent, idem profitentur. Id ipsum observavi in scriptis veterum SS. Patrum. Licet ij diversis temporibus & remotissimis in partibus vixerint, ac scripserint; ut Ignatius & Chrysostomus Antiochiæ, Athanasius & Telesphorus Alexandriæ, Macarius & Cyrillus Hierosolymæ, Proclus Constantinopoli, Gregorius & Basilius in Cappadocia, Justinus in Athenis, Dionisius Corinthi, Ephrem in Syria, Cyprianus, Optatus & Augustinus in Africa, Epiphanius in Cypro, Ambrosius in Italia, Iræneus in Gallia, Orosius & Isidorus in Hispania, Beda in Aglia. E contra verò cum contulissem Acatholicorum modernorum scripta, cum doctrina vete-

rum

rum Sanctorum Patrum, in tantum eos ab illa recessisse comperi, ut toto cælo ab eadem distent: Combinavi dein ipsos scriptores Acatholicos inter se, & maximam discrepantiam in dogmatibus Fidei inter illos clarissimè deprehendi: dum non tantùm Calvinistæ in Lutheranos, & vicissim Lutherani in Calvinistas, ac utrique in Puritanos, Arianos, & Anabaptistas insurgunt, sed etiam illi, qui sub eodem titulo comprehenduntur, mirum in modum inter se digladiantur, quo ad Fidei suæ dogmata. Et aliud sentiunt, tenent, ac docent, circa eadem, rigidi Calvinistæ: aliud molles Calvinistæ, aliud Remonstratenses, aliud contra Remonstratenses, aliud Puritani, aliud Presbyteriani. Et aliud Lutherani Wittembergenses, aliud Regiomontani, aliud in Svecia, aliud in Hungaria, aliud in statu Brande-

burgico, aliud in Anglia: aliud idem tenent hoc sæculo, aliud tenuerunt priori sæculo, aliud ad initium Lutheranismi, aliud in ejusdem progressu. Quam igitur causam adferre potuissem, in extremo die Judicii, si tot ac tantis hominibus Ecclesiæ, tenebricosos homulos pauculos, minùs doctos, minùs probos, ac hos inter se divisos, antetulissem? Potiùs igitur illis adhærendum, & hos renciendos judicavi.

CONSIDERATIO XLII.

SEd licèt hi omnes tacuissent, ipsi tamen lapides & res cunctæ vetustatem aliquam habentes, mihi loquebantur, & veritatem Fidei Romano-Catholicæ inclamabant & inculcabant. Consideravi enim Templa antiquissima, Electiones Cœsarum & Regum, eorumq; inaugurationis ritum, veterum Cœsarum ac

Regum statuta & Articulos, antiquissimarum Academiarum Christianarum consvetudines ac Leges; Nationum ac Populorum ad Christianitatem conversiones, marmoribus incisas inscriptiones, omnium sæculorum à Christo Nato Historicos & Annales, gesta & res memorabiles omnium temporum, à quibus cœpit promulgari Christiana Fides; Ephemerides & in jis Festa Sanctorum & denominationes solemniorum dierum, per annum, quæ etiam apud ipsos Acatholicos in usu sunt cujusmodi sunt: Dominicæ, Quadragesimæ, Quinquagesimæ, Sexagesimæ, Septuagesimæ, Dominica in Albis Quasi modo geniti, Jubilate, Cantate, Rogate &c. Quæ omnia mihi inclamabant non aliam unquam Religionem in Christianitate imis radicibus insedisse, quàm Romano-Catholicam: Convincen-

tem proindè habui rationem, cur vetustati adhærerem & nuper natas novitates rejicerem.

CONSIDERATIO XLIII.

SEptemdecim jam sæcula præteriêre quibus Ecclesia Romano-Catholica impugnata fuit à crudelissimis Tyrannis, à Machometanis, à Paganis & Gentilibus, à Schismaticis, à tam diversis hæresibus, semper tamen mansit, & nunc quoquè manet invicta, insuperabilis, visibilis & florens, quin in dies magis & magis augetur, crescit, & propagatur. E contra tot, ac tam variæ exortæ fuerunt hæreses, quæ quidem videbantur potentissimæ, & diffundebantur instar torrentis omnes tamen sensim sinè sensu interiere & periere, ac penitus defecêre. Tales ex g. hæreses fuêre; Manichæorum, Donatistarum, Pelagianorum

norum, Iconoclastarum, & aliæ quàm plurimæ, quid indè conclusi? Non aliud quàm quod Ecclesia Romano Catholica fundata sit à Christo in petra, & de qua Christus prædixit: *Quod neq; portæ inferi prævalebunt adversus eam:* Aliæ verò sectæ ædificatæ fuerint ab hominibus & in arena, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in illas & ceciderunt, & fuit ruina illarum magna; imò & per se corruerunt multæ, & modernæ quoque successu temporis corruent. Juxta illud dictum Salvatoris: *Omnis plantatio quam non plantavit* Pater *meus Cœlestis, eradicabitur.* Malui igitur me recipere in illam domum, quæ fundata est in petra, quàm in aliquam illarum quæ ædificatæ sunt super arenam, & proximam minantur ruinam.

CON-

CONSIDERATIO XLIV.

SÆpiùs perlustravi ex professo Bibliothecas tam Catholicas quàm Acatholicas, & in Catholicis observavi tria genera, seu classes librorum per longissimas series dispositorum, ex quibus in Bibliothecis Acatholicis, inter libros ab ipsis conscriptos, nec vestigium quidem exstabat. Quarum trium classium in Bibliothecis Catholicis. Prima erat sub Titulo *Vitæ Sanctorum & Sanctarum* Plurimæ hæ erant, ex omni statu Fidelium. Erant inter eas Vitæ Sanctarum Virginum innumerarum. Sanctarum item Viduarum, Episcoporum, Eremitarum, Religiosorum, Monialium, Martyrum, Virorum Apostolicorum. SSrum Regum & aliorum Sanctorum Confessorum, in quibus continebantur admirandæ eorum ac heroicæ virtutes, vitæ

inno-

innocentia, morum Sanctitas, devotio erga DEUM, charitas erga proximum, ac omnis vitæ Christianæ perfectiones. Et recogitabam ac apud me concludebam, illam Religionem indubitatè veram esse in qua fuêre hæ Sanctæ *Personæ*, tantarum virtutum, ac tantæ perfectionis. Non potest siquidem mala arbor, bonos fructus facere. Matth: 7. v. 18. & v. 20. *Et ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Atque assummebam. Atqui hæ omnes Sanctæ Personæ vixerunt & mortuæ sunt in Fide Romano Catholica Undè necessariò inferre debui. Ergo Fides Romano Catholica est vera.

Altera autem classis librorum erat sub Titulo *Libri Ascetici*, in quibus comprehendebantur saluberrimæ spirituales doctrinæ, de exercitio virtutum Christianarum, & perfectione vitæ, de Imitatione Chri-

sti, de mundi contemptu & vanitate, de amore DEI, & charitate proximi, de dilectione inimicorum & condonatione injuriarũ, de humilitate profunda, de castitate incaminata, & mentis ac corporis Angelica puritate, de conformitate humanæ voluntatis cum Divina, de meditatione quatuor Novissimorum, & peccatorum gravitate, dequè praxi omnigenæ pietatis, ac devotionis.

Tertia classis erat sub Titulo *Morales Theologi*, qui fusè tractant de observatione decalogi, & Legum Divinarum, de restitutione rerum alienarum & iniquè possessarum, & refusione damnorum per nos alteri causatorum, de Sacramentorum usu & administratione debita, deq; aliis rebus ad dirigendam conscientiam spectantibus.

In Bibliothecis verò Acatholicis,

nullos similes libros reperire potui; Non *Vitas Sanctorum & Sanctarum*, quia nullos Sanctos vel Sanctas habent. Non *Libros Asceticos:* Nihil enim libri eorum habent de perfectione, quam nec ex nomine noverunt, nihil de Imitatione CHRisti, quam dicunt esse impossibilem, nihil de exercitio virtutum, & bonorũ operum, quæ inutilia esse ad vitam æternam judicant, nihil de castitate & continentia ad cujus vel nomen exhorrescunt, nihil de pœnitentia agenda, ad quam ajunt sufficere, siquis credat Christum pro peccatis nostris æterno Patri satisfecisse: *Theologia Moralis* apud illos nulla est. Utpotè qui docent Præcepta Decalogi servari non posse: peccata omnia esse æqualia: peccata prædestinatorum apud Deum non reputari pro peccatis: neminem damnari nisi ob peccatum infidelitatis. Et

alia his

alia his similia, quæ Caro & Sangvis illis suggerit, & non Pater cœlestis iisdem revelavit, suntquè non vitæ spiritualis, sed brutalis & animalis principia, omnis laxitatis, & licentiosæ vitæ, ac libertatis carnis, occasionem præbentia.

CONSIDERATIO XLV.

COntuli etiam conventicula Acatholicorum & specialiter illa in quibus cusæ sunt confessiones: Augustana, Helvetica, Genevensis, Anglicana, cum antiquissimis & Generalibus Conciliis Ecclesiæ Romano-Catholicæ, sed quæ poterat esse comparatio inter lucem & tenebras? ad Concilia, siquidem Generalia Ecclesiæ Romano Catholicæ, convocari solent Episcopi totius Orbis, summi ex omnibus nationibus Theologi, Legati & Oratores, Regum & Cæsarum, tractantur ne-

gotia summa cùm maturitate, accuratissima cum discussione, cum consideratissima deliberatione, ac controversiarum unanimi definitione & decisione, & decretorum à Fidelibus universali acceptatione; celebrantur longissimo tempore, ac subindè annis & annis, ut res controversæ meliùs discutiantur, ventilentur, examinentur, ac semel definitæ non amplius in dubium revocentur. Quid autem conventicula Acatholicorum? Accipiamus in exemplum, conventiculum Augustanum in quo cusa est confessio Augustana? Hæc confecta est paucorum, vix Theologiâ tinctorum consilio; & scripta est cum magna festinatione, & celeritate, & quidem in diversorio publico, interfuêre illi solum unius nationis, Germanicæ scilicèt viri, iiq; pauculi, præoccupati jam prius aliis opinionibus, homines animi elati, carnis *liberta-*

bertati, & vitæ licentiosæ addicti, eadem à pauculis civitatibus & Principibus est acceptata, â pluribus rejecta, sæpius mutata & vitiata. His utrinquè consideratis, quomodo potui non stare eorum potiùs, quàm horum judicio, in decisione rerum controversarum Fidei?

CONSIDERATIO XLVI.

CОnsiderationem hanc, feci circa conscientias; Catholicam & Acatholicam; est autem conscientia actus intellectûs seu rationis, qui dictat nobis vel advertit, aliquid licitum vel illicitum esse, adeoq; agendum vel omittendum, estquè proxima & immediata voluntatis nostræ Regula. Jam videamus quænam sint hæ Regulæ dirigentes voluntates, ex doctrina Romano Catholicorum, & ex doctrina Acatholicorum.

Ex doctrina Romano Catholi-

eorum, sunt hæ: Omne peccatum est cavendum, & in libero arbitrio est hominis adjuvante Dei Gratia, ut peccet vel non peccet.

Omne peccatum mortale, meretur pœnam æternam, & unum illorum sufficit ad æternam damnationem.

Peccatum pro nulla re hujus mundi est faciendum, ita, ut præstet millies mori, quàm unicum peccatum committere etiam minimum:

De omni peccato etiam levissimo, ac verbo otioso danda est DEO ratio.

Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Post grave peccatum commissum nihil restat, quàm vel infernus vel pœnitentia.

Nullum opus honestum supernaturale est, quod non meretur Gloriam & gratiam supernaturalem, aut illius augmentum.

Omnia

Omnia peccata mortalia; sunt in Confessione aperienda, ac Sacerdoti manifestanda, & plura his similia.

Acatholicæ autem doctrinæ, hæc sunt conscientiæ dictamina.

Præcepta Dei est impossibile servare.

Unusquisquè tenetur se credere salvandum vel prædestinatum.

Talibus qui hæc credunt, DEUS non imputat ullum peccatum.

Propter nullum peccatum damnatur homo, nisi propter peccatum infidelitatis.

Bona opera non sunt meritoria vitæ æternæ.

Pœnitentia pro nostris peccatis non est necessario agenda. siquidem Christus jam suà morte & sangvine satisfecit pro nobis.

Non est in nostra potestate peccata cavere.

Nemo obligatur ad sua peccata confitenda: Sola fides sufficit ad salutem.

Jam quis consideret & perpendat; his principiis, qualisnam conscientia formabitur ad evitandum malum & faciendum bonum? Cum tamen principia Catholicæ doctrinæ id unicum præstare conentur, & præstare possint. Convictus proindè fui potiùs conscientiam Catholicam sequi, quàm Acatholicam.

CONSIDERATIO XLVII.

VEhementer & illud mihi displicuit in Prædicantibus, quòd *in* omnibus suis concionibus ac sermonibus, totos quantos se occupent in carpendis Catholicis & præsertim in Cæremoniis & ritibus eorum irridendis, interim tamen quæ sunt gravissima in sua Religione, & unicè necessaria ad salutem populi curandam.

dam, eam penitus dissimulent, cujusmodi sunt: Quòd ipsi non sint veri Sacerdotes ut potè non habentes potestatem conficiendi Corpus & Sangvinem Christi in Eucharistia: nequè potestatem dimittendi peccata, in quibus tamen Sacerdotalis muneris officium consistit. Undè fit ut graviter decipiatur populus, putans se sub utraq; specie accipere Corpus & Sangvinem Christi; sic à Prædicantibus dementatus, cum tamen sub neutra specie accipiat, defectu Sacerdotalis potestatis in Prædicantibus, sed purissimum panem, & purissimum vinum. Persvadent item populo se nihil docere, nisi quòd docuit, & tenuit primitiva Ecclesia Christiana, & veteres SS. Patres, quod tamen falsissimum est, & ipsimet conscii sunt hujus falsitatis; Non docent suos aut peccata cavere, aut pro commissis peccatis pœniten-

ſentiam agere; non hortantur eoſ-dem ad benè agendum, benè & Chriſtianè vivendum, conformiter ad doctrinam & Exemplum Salvatoris noſtri.

CONSIDERATIO XLVIII.

CUm verſarer inter Catholicos, obſervabam quinam illorum Judicio, cenſeretur malus, ac tepidus Catholicus, & intellexi illos in hac Claſſe ab jis poni: Qui Dei & Eccleſiæ præcepta non obſervant, in bonis operibus ſe non exercent, Confeſſionem fugiunt, & negligunt, rarò Sacris interſunt, ad Sacramentum pœnitentiæ rarò accedunt, concupiſcentiis ſuis, & ſenſibus indulgent, jejunia non obſervant &c. Et reflexi me ad Acatholicos, inter quos, qui hæc non obſervant, pro ferventibus Evangelicis & Proteſtantibus habentur. Et ſubintuli, ergo infimi

& peſ-

& pessimi Catholici, sunt sicut optimi Evangelici vel Protestantes. Et confirmatus fui in illa gradatione quam aliquando audiveram. Ex pessimo Catholico fit optimus Lutheranus, ex pessimo Lutherano, optimus Calvinista, ex pessimo Calvinista optimus Arianus, ex pessimo Ariano, optimus Machometanus.

CONSIDERATIO XLIX.

PRo motivo conversionis ad Fidem Romano-Catholicam, etiam illud mihi erat: Quòd nunquam observaverim, ideo deficere à Fide Romano-Catholica aliquem ad Acatholicos, ut melior fiat, sed præcisè ut libertatem carnis, ac licentiam vitæ consequantur. Undè nullum Religiosum, aut Ecclesiasticum vidi à Catholicis ad Acatholicos transire, cujus prima cura non fuisset ducendi uxorem: & voluptates

carnis sequi. E contra verò qui ex Acatholicis convertuntur ad Fidem Romano-Catholicam observavi evasisse in homines valdè pios & ferventes, Zelosos ac Exemplares, & multos ex jis mundo valedixisse, & se totos quantos DEO, ac illius servitiis consecrâsse. Atque sic omnis Arbor bona, bonos fructus facit, mala autem arbor, malos fructus facit, Matth: 7. v. 16.

Sed & illud mihi mirum videbatur. Quod cum tam clari Scripturæ Sacræ textus, sint de necessitate & utilitate Charitatis, Spei, Timoris Dei, Elèëmosynæ & aliorum bonorum operũ, ac de necessitate Fidei, Acatholici tamen doceant solam Fidem sufficere ad salutem, licèt hoc nullibi sit in Scriptura Sacra. Sicut enim de Fide testatur Scriptura: *Credidit Abraham DEO, & reputatum est illi ad Justitiam.* Item *Fides tua te sal-*

te salvum fecit. Idem etiam de Spe testatur eadem Scriptura: *Multa flagella peccatoris, sperantem autem misericordia circumdabit.* Psal: 13. v. 10. Item: *In te sperabo non confundar in æternum.* Item *Spes autem non confundit.* Item *Omnis qui habet spem in eo sanctificat se.* 1. Joan. 3. v. 3. Et de Charitate: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Luc: 7. v. 24. Et Charitas: *Cooperit multitudinem peccatorum.* 1. Petr: 4. v. 8. Et de observatione mandatorum: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et de aliis bonis operibus. *Et qui bonum egerint, ibunt in vitam æternam.* De pœnitentia *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Misericordia, *Misericordia & veritate, redimitur iniquitas* Prov. 16 v. 6. Elèémosyna: *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat.* Item: *Quod superest date Eleemosy-*

mosynam; *& ecce omnia munda sunt vobis.* De condonatione inimicorum, *Dimittite & dimittemini:* Luc: 6. v. 37. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester delicta vestra.* Matth: 6. v. 14. Meliùs ergo & tutius esse judicavi Doctrinam Catholicorum sequi, qui docent: Fidem quidem necessariam esse ad salutem, sed non excludi Spem, & Charitatem, aliaque bona opera. Nam ut S. Paulus habet: *Fides, Spes, & Charitas, tria hæc,* (*necessaria sunt ad salutem.*) Et alibi sic *Si Fidem habeam, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum.* Si autem hoc admittatur [uti admitti debet] Igitur falsum est quod *sola Fides* sufficiat ad salutem. Falsum item, quòd alia bona opera non sint utilia ad salutem. Falsum denique quòd omnia nostra bona opera sint peccata, peccata

ſiquidem non ſunt utilia ad ſalutem, ſed ſunt media ad æternam damnationem.

CONSIDERATIO L.

NOn paucos obſervavi Acatholicos, qui eſtò in vita fuerint pertinaciſſimi in ſuis ſectis, poſtea tamen ubi ventum eſt ad articulum mortis convertebantur & deſiderabant mori in Fide Catholica. E contra nullum Catholicum notavi, qui ad extrema deveniens, optâſſet in Religione Acatholica mori, cum tamen in hora mortis maximè aperiantur homini Chriſtiano, mentis oculi, circa ea quæ concernunt æternam animæ ſalutem. Ego autem ſic vivere ſtatui, ſicut vellem mori. Igitur maturè Fidem Catholicam amplecti decrevi. Siquidem ſicut mors eſt certiſſima, ita hora mortis eſt incertiſſima. His acceſſit, quòd Catholi-

ci cum

ci cum quibus de mea conversione egi, hanc dabant mihi assecurationem: quòd si propter susceptam Fidem Catholicam damnari deberem, ipsi parati sint pro me in die judicii respondere, & damnationem æternam loco mei, vel mecum subire. Qualem assecurationem non potui obtinere vel extorquere ab aliarum sectarum Prædicantibus; si in illorum secta vixero & mortuus fuero. Undè conclusi firmioribus fundamentis niti Fidem Romano-Catholicam quàm alias sectas à Fide Romano-Catholica alienas.

[EPILO-

EPILOGUS
SEU
RECAPITULATIO
RATIONUM & MOTIVORUM

Cur Fides Romano-Catholica sit eligenda & amplectenda ac aliis omnibus modernis Fidei Religionibus præferenda.

NE temerè vel alios aliquos ob fines, vel vanas ſpes, putetis me Fidem Romano-Catholicam amplexum fuiſſe, & veſtras tanquam falſas ac impoſtorias Religiones reieciſſe, Sodales Amici mei Cariſſimi, Rationes & Motiva meæ converſionis vobis hìc in compendio adduco, & recapitulo.

Sum igitur ex vestra (quam qui-dem vos, malè persvasi Evangeli-cam vocatis) religione, ad Fidem Romano-Catholicam conversus.

Primò, Ex eo, quod vos Luthe-rani & Calvinistæ in Hungaria, u-num statum Evangelicum constitu-ere vultis, quòd sanè mihi videba-tur esse inconceptibile. Cum enim in multis articulis Fidei, inter vos difformes & prorsus oppositi sitis, capere planè non potui, quomodo ambæ vestræ inter se contrariæ do-ctrinæ, possint eidem Evangelio es-se conformes? Quæ enim sunt di-versa inter se, eadem uni tertio, per omnia non possunt esse conformia, uti ipsum lumen rationis dictat.

Secundò. Quod si autem alterutra ex his duabus Religionibus est con-formis Evangelio, adeoq; Evangeli-ca, deberet id probare una *v.g.* Lu-therana, de sua Religione tali argu-

men-

mento, quo Calviniana Religio non posset æquè ac eodem jure uti pro probanda sua Religione quod sit Evangelica; & è contra. Tale autem argumentum neutra pars potest pro se adducere. Ergo non habui rationem, cur potiùs deberem esse Lutheranus, quàm Calvinista, nec è contra, & cur potiùs hanc, quàm illam judicarem esse Evangelicam.

Tertiò. Quia non vidi rationem, cur soli Lutherani vocent se *Evangelicos*, & Calvinistæ *Reformatæ Religionis*, & non debeant sic vocari etiam Anabaptistæ & novi Ariani, seu Unitarii. Ab illis siquidem non adfertur tale argumentum, hujus denominationis, quod ab his, non possit æquè ac eodem jure pro suis sectis applicari. Cum igitur non sit major ratio pro Lutheranis vel Calvinistis, quàm pro Anabaptistis, & Arianis, vel quibusvis modernis se-

ctariis, quos Lutherani ac Calvinistæ excludunt ab his novitiis titulis, ipsi quoque Lutherani & Calvinistæ, nec quo ad rem, nec quo ad denominationem, possunt dici Evangelici, vel Reformatæ Religionis. Ergo meritò has omnes sectas, ut potè earundem quisquiliarum, rejeci.

Quartò. Quia constabat mihi multos, qui in Fide Ramano-Catholica vixerunt & mortui sunt, salvatos esse ut vosmetipsi id fatemini. An autem aliquis sit salvatus ex aliis modernis sectis, nec quidem vobis ipsis constat. Securiorem igitur viam ad salutem volui mihi eligere.

Quintò. Imò hinc inferebam, vel ex eo Romano-Catholicam Fidem esse veram: Nam sine vera Fide non potest quis placere DEO, omnis autem qui salvatur placet DEO. Ergo cùm multi salvati sint in Fide Romano-

mano-Catholica, eam veram Fidem & salvificam oportet esse.

Sextò. Indè ulterius deducebam. Quòd cum Romano-Catholica Fides, sit salvifica adeoquè vera omnes ab ea diversæ, Religiones sint falsæ, siquidem una tantùm Fides est vera ac salvifica, sicut unus tantùm est verus DEUS.

Septimò. Quia Catholicos posse salvari in sua Religione non solùm ipsi Catholici constanter asserunt, sed Acatholici etiam ultra concedunt. In alia autem Religione aliquem salvari posse, soli Acatholici, idq; singuli de suis sectis ominantur & dicunt, quòd Catholici absolutè negant. Id verò quòd utraq; pars etiam sibi adversa concedit, certius est, quàm id quod una tantum asserit, altera autem negat omnino. Ergo securiùs operari volens rationabiliter feci, quod Fidem Romano Ca-

no-Catholicam, cæteris omnibus prætulerim.

Octavò. Quia consulendo veterum ac primitivæ Ecclesiæ SS: Patrum scripta, ab iisdem solam Romano-Catholicam intellexi extolli, svaderi, laudari, reliquas verò omnes ab ea alienas reiici & damnari. Horum igitur prudentissimum consilium ac judicium statui sequi.

Nonò. Quia omnes Sancti & Sanctæ qui & quæ fuerunt ab instituta Ecclesia à CHRisto usque ad præsens Tempus, fuerunt ac vixerunt in Ecclesia Romano-Catholica.

Decimò. Quia in Testimonium veritatis hujus Religionis, subierunt tot millia Martyrum, durissimam mortem ac sangvinem suum profuderunt.

Undecimò. Quia omnes qui qui hanc Ecclesiam impugnarunt, & ab ea recesserunt, ut Arius, Machome-

tes,

tes, Pelagius, Marcion, Macedonius, &c. æternis ignibus addicti sunt uti & eorum sequaces. Tales autem Hæresiarchæ fuerunt & Lutherus ac Calvinus, ac alii inventores modernarum sectarum; nolui proindè me periculo æternæ damnationis illos sequendo exponere, neque enim vidi rationem, cur Pelagius & Arius sint Hæresiarchæ & non Lutherus ac Calvinus.

Duodecimò. Quia Romana Fides fuit eadem cum Fide S. Pauli, ipso S. Apostolo attestante. Ad Rom 1.v.2. Cur igitur debuissem quærere aliam Fidem, quàm quæ fuit S. Pauli.

Decimotertiò. Quia si Romano-Catholicam Fidem, non præelegissem, nunquam electionem inter alias Religiones Fidei, finem cum animæ meæ quiete fecissem, semper enim dubitassem, quænam ex tot ac tam variis sectis sit vera Fides ac salvifica.

Decimoquartò. Quia doctrinæ aliarum Religionum continent plurima paradoxa incredibila, & rectæ rationi prorsus difformia, ut patet ex Consideratione 15. 16. 17. & 18.

Decimononò. Quia omnes modernæ Religiones diversæ à Religione Romano-Catholica sunt novæ & tales quas nemo tenuit, docuit, aut secutus est, ante Annum 1517. ut patet ex Consideratione 19. & 20.

Vigesimò. Quia omnes hæ novæ Religiones, sunt tantum ex antiquis hæresibus jam pridem ab Ecclesia diversis temporibus condemnatis cõsarcinatæ, & quidem ineptissimè.

Vigesimosecundò Quia soli Ecclesiæ Romano-Catholicæ conveniunt & quidem amptissimè, *Notæ* veræ CHRIsti Ecclesiæ, nempè quod sit *una, Sancta, Apostolica & Catholica, seu universalis.*

Vigesimotertiò. Quia ad hanc solam

lam conversæ sunt, & defacto convertantur omnes Gentes & populi, ex Gentilismo & Paganismo ad eandem.

Vigesimoquartò. Quia antesignani modernarum Religionum, nullo signo seu miraculo, probârunt, vel probare poterant se à DEO missos: ad Reformationem Ecclesiæ.

Vigesimoquintò, Quia iidem Antesignani fuêre homines carnales, vot fragi, Apostatæ, impii, blasphemi, ac scurriles.

Vigesimosextò. Quia hæ Religiones nunquam laborant in Gentilium ad CHRISTI Fidem conversione, sed solùm in tepidorum Catholicorum perversione.

Vigesimoseptimò Quia in Romano Catholica Ecclesia, multæ personæ ex utroque sexu etiam maximi stemmatis, & summarum divitiarū, se obsequiis Divinis ultro consecrāt,

vitam-

vitamquè suam in paupertate voluntaria, & intaminata castitate transigunt. In aliis verò Religionibus fidei, nemo magnarum fortunarum statum Prædicantium assumere dignatur, nemo ex his se ad continentiam resolvit, unde constat horum plerosquè ex sola necessitate munus hoc obire; illos verò ex amore solius DEI & salutis animæ suæ, & Fidei veritate, ad tales status, se DEO consecrare.

Vigesimooctavò. Quia continentia quæ est donum Dei, nulli unquã Prædicanti à DEO confertur, cum tamen in Religione Romano-Catholica tot sint Religiosi & Religiosæ, quæ non tantum continentiam, sed & intaminatam Virginitatem, per Dei gratiam usq; ad finem vitæ conservant.

Vigesimononò Quia scriptores Acatholici, plerisq; Argumentis suis, dum oppugnant Catholicos, ea impugnant, quæ illi non negant (ut

sic eos

sic eos in odium apud plebem inducant) & ipsam Catholicam doctrinam prout ea apud eos docetur, vix attingunt, aut attingere audent.

Trigesimò. Quia iidem, contra Catholicos magis Calumniis & manifestis mendaciis agunt, quàm solidis argumentis.

Trigesimo primò, Quia è contra Acatholici, Catholicorum contra se argumenta, vel non solvunt, vel statim ad aliam controversisticam materiam transeunt.

Trigesimo secundò. Quia novæ hæ Religiones pro libitu suo: Sacræ Scripturæ libros è Canone Sacrorum librorum eliminant, & alios, pro suo arbitrio vertunt ac interpretantur, & quidem unusquisque juxta proprium suum sensum, cum tamen inter Catholicos, idem est Scripturæ Sacræ librorum Canon, eadem versio, idem sensus, & eadem interpretatio.

 Trige-

Trigesimo tertio. Quia novæ hæ Religiones in ipsis Articulis Fidei plurimum inter se differunt, etiam ii, qui sub eodem nomine continentur, imò & in ipsis Catechismis quibus pueris rudimenta fidei traduntur.

Trigesimo quartò. Quia ipsæ Augustanæ confessiones, quas pro fundamento suæ Religionis Lutherani habent, maximè inter se differunt, & à prima illa originali Augustana confessione discrepant.

Trigesimo quintò. Quia novæ hæ Religiones aperiunt latam ac spatiosam viam, ad omnem licentiam carnis & voluptatum, cum tamen Christus docuerit arctam esse & angustam viam ad Cœlum.

Trigesimo sextò. Quia earundem defensores plurima Scripturæ Sacræ loca ac textus detruncant, aliqua adduunt & ea ex suo proprio sensu interpretantur, insuper aliqua depra-

vant & corrumpunt, vide Considerationem XXXVI.

Trigesimo septimò. Quia Religiones à Romano-Catholica alienæ, non sunt institutæ à Christo, nec habent successionem suæ doctrinæ & Pastorum, à temporibus Apostolorum.

Trigesimo octavò. Quia in scripturæ Sacræ interpretatione inter se discrepant, ut patet ex Consideratione 38. 39. 40.

Quadragesimo primò. Quia omnes res vetustæ, omnia veterum scripta, solam Romano Catholicam Ecclesiam fuisse in Christianitate radicatam & firmatam testantur.

Quadragesimò secundò. Quia Romana Ecclesia esto hactenus fuerit, jam indè à sui initio oppugnata à diversis Tyrannis, Ethnicis, Paganis & hæreticis, semper tamen mansit inconcussa & nunc quoquè manet,

cum tamen hæreses aliæ, ficut exortæ sunt, sic etiam interierunt.

Quadragesimo tertiò. Quia apud Acatholicos nulla est doctrina ascetica, hoc est talis, quæ tractaret de perfectione & exercitio virtutum Christianarum, uti nec, ulla scientia de rebus moralibus seu observatione legum Divinarum, sed omnia permittuntur desideriis & concupiscentiis depravatissimæ naturæ humanæ.

Quadragesimo quartò. Quia conciliabula Acatholicorum etiam illa, in quibus modernarum Religionum cusæ sunt confessiones, seu professiones, nec quidem minimam comparationem habere possunt sive quoad doctrinam, sivè quoad sanctitatẽ ac virtutes, sivè quoad nationum varietatem cum conciliisGeneralibus Ecclesiæ Romano-Catholicæ, & Patribus qui eisdem interfuerunt.

Qua-

Quadragesimo quinto. Quia principia Acatholicorum non sunt apta ad formandam conscientiam bonam, homine Christiano dignam.

Quadragesimo sexto. Quia Prædicantes earum, solum ea proferunt, quæ sunt in contemptum Religionis Catholicæ, alia autem quæ sunt in sua Religione gravissima, & in perditionem manifestam animarum ipsis subjectarum, penitus dissimulant.

Quadragesimo septimo. Quia ij qui inter Catholicos judicantur esse pessimi & tepidissimi, inter Acatholicos judicantur esse optimi & ferventissimi.

Quadragesimo octavo. Quia nemo est, qui ex Fide Romano-Catholica deficit ad alienas Religiones modernas, ex eo ut in ijs fiat melior, sed ut laxiùs & licentiosius vivere possit.

Quadragesimo nono. Quia cùm tam clara sint Testimonia Scripturæ

ſeræ, de Spe, Charitate, Pœnitentia, Eleemoſyna, & operibus miſericordiæ; quòd ſint proficua ad vitam æternam obtinendam; ac de ipſa Fide. Hæc tamen omnia contemnunt moderni Novatores, & ſolùm Fidem ad ſalutem ſufficientem eſſe docent.

Quinquageſimo. Quia etiam pertinaciſſimi Hæretici ſæpius deſiderant mori in Fidé Catholica ac etiam moriuntur. Nullus autem Catholicus optat mori in fide à Romano-Catholica aliena.

His addo. Quod mihi vehementer ſemper diſplicuit in Prædicantibus ſectariorum, qui dum merita CHRISTI ac ſatisfactionem, mirè extollunt, imitationem vitæ illius, auditoribus ſuis proponere, aut ſvadere penitùs negligunt, quin eiſdem prætenſionem & anſam præbeant, ut de cavendis peccatis, & pœnitentia agenda, pro commiſſis,

missis, minimè sint solliciti, juti & de exercitio virtutum ac bonorum operum, id pro se allegando, quòd CHRISTUS Dominus abundè jam sua morte Sanctissima pro peccatis nostris satisfécerit, & Regnum Cœlorum nobis promeritus sit. Atquè sic Passionem ac mortem CHRISTI, ac illius satisfactionem in vitæ licentiam sibi assumunt. Orthodoxa autem doctrina est: CHRISTI quidem mortem ac Passionem esse sufficientissimam ex se, pro peccatis nostris, & totius humani generis, ac infiniti prorsus meriti extendentis se ad omne omninò prœmium possibile, nihilominus CHRISTUM voluisse, illius fructum applicare nobis, ita ut nos imitando virtutes illius, ejusdem Passioni cooperemur. Duplex siquidem fuit Finis, adventûs CHRISTI Domini, in hunc mun-

 dum;

dum; primus erat, ut pro peccatis nostris satisfaceret & ab æterna damnatione, nos eriperet. Alter verò, ut perfectissimum omnium virtutum exemplar nobis daret, & ad sui imitationem nos adduceret. Quem finem ipsemet CHRISTUS his verbis declarat. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum Ego feci, ita & vos faciatis* Joan. 13. v. 15. Et apud Matthæum 11. v. 29. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Et S. Petrus primâ. cap: 1. v. 21. *CHRISTUS passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

Hic ego jam vos alloquor, olim mei in Religione Consodales, & nunc quoque amici, cognati & patriotæ charissimi, atque per DEUM obtestor, per quinque Vulnera CHRISTI ac sangvinem illius pretiosissimum, quô redempti sumus, perque

perque salutem animæ vestræ æternam, obsecro. Nolite certam viam ad cœlum relinquere pro incerta. Recogitate ad quam fidem Antecessores vestri & primi Christiani nationis vestræ ex Gentilismo conversi sunt. Perpendite in qua Fide Sancti illi, quos etiam vos pro talibus habetis vixerunt. Considerate hæc motiva meæ conversionis, vobis sincerissimo affectu allata: Et revertimini ad Fidem veterem, ad viam Patrum, ad semitas Sanctorum, ad Religionem illam quæ tot sæculis viguit, cujus veritas tot Martyrum sangvine firmata est. Quam omnes Sancti veteres Patres primitivæ Ecclesiæ defendunt & approbant, contra quam nec portæ inferi (ex ipsius CHRIsti promissione) prævalebunt. Consulite animabus vestris. Habete præoculis salutem animarum ve-

strarum

ſtrarum. Quid enim proderit homini ſi univerſum mundum lucretur & animæ ſuæ detrimentum faciat, aut quam dabit commutationem quis pro anima ſua? Unicam habemus animam, de cujus æterna fælicitate hic agitur. Salus æterna non acquiritur ſine vera fide. Fides autem vera, eſt unica, quæ non eſt alia quàm Catholica. Hanc ergo ſequimini, meque in ea complectenda imitemini. DEUS det vobis hanc gratiam, ut per veram Fidem unanimiter ambulemus ad felicem æternitatem.

Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus Cæleſtis eradicabitur.
Matth. 15. v. 13.

FINIS